



1. Dav: Vogel Diff. an creatio Mundi ex lumine nature demonstrari queat. 1704.
2. Chr. Mascevoj Diff. ex Gen. I. vi. 1723.
3. Joachi Hildebrandi Diff. de creatione universi 1687.
4. Bernh. Derschow Diff. de immortalitate primi hominis. 1629
5. Christ. Mascevoj Diff. de voluntate Adam 1710
6. Joh: Hurelmanni Diff. de lapsu primorum parentum. 1637.
7. Mart. Corseh Diff. II, de fluvio paradisi. 1706.
8. Aug: Pfeifferi, Diff. de homicidio Lamechi. 1671.
9. Christ. Neubaur Diff. de signo quod Deus Caini posuit. 1672.
10. Joh. phil. Pfeifferi Diff. de homicidio Lamechi. 1670

49

F. N. 7.
DISSERTATIO PHILOLOGICA,

Ad verba
Ezechielis VIII. 17.

והנם שולחים את הזמורה אל אנן

Et ecce, extendunt palmitem ante
faciem suam.

Quam
ADJUVANTE DIVINI NUMINIS GRATIA
IN ACADEMIA PATRIA
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE ac DOMINO,
**DOMINO FRIDERICO
WILHELMO,**
REGNI PRUSSIAE ET ELECTORATUS BRAN-
DENBURGICI HEREDE, &c. &c. &c.
PRÆSIDE

VIRO AMPLISSIMO, EXCELLENTISSIMO atq; DOCTISSIMO
**DNO. M. LAURENTIO
WEGERO,**
Lingvæ Ebrææ cœterarumque Orientalium Prof. Publ.
Ordinariô celeberrimô,
Dominô Patronô ac Præceptore maxime venerandô
Publicæ disquisitioni subjicit
CHRISTIANUS GABRIEL Fischer!
Regiom. Prussl.

IN AUDITORIO MAXIMO
Anno M DCC X. d. 3. Julii.

REGIOMONTI. Typis REUSNERIANIS.

V I R O

GENEROSO MAGNIFICO ET CONSULTISSIMO

DN. FRIDERICO à *Derschau/*

Supremi in Borussîa Appellationum Judiciî & Aulae Consi-
liario maximè conspicuo, Consuli Palæopoleos meritissimo.

V I R I S

item

*PRÆ-NOBILISSIMIS, EXCELLENTISSIMO, AMPLISSIMIS
ET CONSULTISSIMIS*

DN. GEORGIO *Dittmer/* Pro-Consuli meritissimo.

DN. JOHANNI *Langerfeld.*

DN. CHRISTOPHORO *Horck/* Judici Equissimo,
Avunculo æstimatissimo.

DN. HENRICO *Schönfeld/* J. U. D. & P. P.

DN. FRIDERICO *Meyern.*

DN. GEORGIO *Tzeltn.*

DN. FRIDERICO *Liedert.*

DN. CHRISTOPHORO *Meyern.*

DN. CHRISTOPHORO *CASSEBURG.*

Reipubl. Veteroppidane Consiliariis Gravissimis.

V I R O

deniq;

NOBILISSIMO AMPLISSIMO ET CONSULTISSIMO

DN. HENRICO *Bartsch/* Secretario Spectatissimo,

Mæcenatibus, Patronis ac Benefactoribus

In debita gratitudinis signum ulterioremque suorum
studiorum commendationem cum omnigenæ
prosperitatis votò hanc dissertationem philolo-
gicam offert

Christianus Gabriel *Fischer/*
R. P.



Stenderat DEus Ezechieli hoc capite VIII. per visionem varias populi Judaici abominations: videbatur sibi v. 3. Propheta vectus per aerem ex Babylone Hierosolyman ad portam Templi interiorem, sive ingressum Atrii maximi, quod Gentium dicitur & Aquilonem respicit, ibidemque idolum Zeli ad provocandam æmulationem advertit, abhinc v. 7. ad portam Atrii Levitarum ductus, januamque fosso pariete ingressus v. 8. 9. 10. & 11. vidit reptilia cateraque Domus Israel Idola in parietibus depicta, gentili devotione à Jezonia & Septuaginta Senioribus coli. Posthæc v. 14. ad aliud Domus DEI ostium Aquilonale, portæque Sacerdotii proximum veniens, mulieres super Thamuz flentes conspexit. Tandem v. 16. in interiori Sacerdotum atrio constitutus, inter porticum & altare holocausti, visus est sibi videre viginti quinque viros, dorsis contra Templum, faciebus verò ad Orientem versis Solem pronos adorare. His visis DEUS ad Prophetam v. 17. dicit: *Vidistine Fili hominis? An levius est quicquam visum Domui Jebude, quam facere abominations istas, quas faciunt hic. Nam impleverunt terram violentia & aversi sunt ad irritandum me.* **והנני שולח את הזמורה אל אפס** *Et ecce præmittunt plantarum surculos ante faciem suam.* Quid DEUS his verbis voluerit intellectum, id est de quo multum inter se disceptarunt interpretes; videbis enim tam varium & multiplicem hujus commatis dari sensum, ut quis eligendus sit, diu anceps hæreas. Cum verò facilem non solum veniam sed & approbationem omni tempore impetrarint ii, qui res sacras vel obscuras vel interpretum diversorum argutiolis involutas enodare fategerunt; parem æquitatem mihi quoque sperare & exorare fas sit, dum præsentis dissertatiuncula diversas hujus loci Prophetici expositiones excutere, verumque ejus sensum, quantum per ingenii vires licuerit, investigare apud me constitui. Faxit DEUS ut omnia fiant in sui Nominis gloriam.

s. II.

Ut autem hujus loci difficultas cujusvis cadat in oculos, principales

A

legisse ἀσμα, nam sic citare cum latine hunc interpretem: *Symmachus interpretatus est, quasi emittentes sonitum in similitudinem cantici per nares suas.* Jam verò canticum græcè non ἀσμα sed ἀσμα dicitur. Eò tamen ut deveniamus opus non est. Cum enim ἀσμα difficilem & vehementiorem respirationem nolet, illaque nunquam sine anhelitu & sono emittatur, sonus ille similitudinem cantici habet, adeoque Hieronymus nomen ἀσμα non tam vertit quam exposuit per canticum. Vulgata dedit: *Applicant ramum adnares suas.* Arias Montanus: *Ipsi mittentes ramum adnares suas.* Pagninus: *Ipsi adhibent nari suo odorem malum.* Lutherus: *Sie halten die Weinreben an die Nasen.* Judæi in versione Germanica: *און נאז זיין שיקן ראש גשטאנק אין יאר אייגיני נאזן;*
 s. III.

Si varias has interpretum versiones penitus inspiciamus, ferè universam pugnam ex vocis זמורה expositione resultasse deprehendimus. Scilicet est hæc vox deducta à זמר id quod satis claret. Radix verò hæc duplici significatione notabilis est. Initio namque notat in Conjugatione Kal *putare, amputare*, ut Levit. XXV. 3. *Sex annis תזמור amputabis vineam tuam.* & v. 4. *Et vineam tuam non תזמור amputabis.* Ita & in Niphal Esaiæ V. 6. dicitur: *Exponam (vineam) desolationi non יזמור amputabitur;* quibus tribus tantùm in locis hoc verbum ita sumptum in toto sacro codice reperitur. Non tamen eo ipso cuiusvis rei amputatio aut præcisio ut membrorum corporis aut herbarum vel arborum, sed in specie vitis tantum, denotatur. Docent id non tantum loca supra citata, sed ex parte etiam versio Chaldaica quæ in locis ex Levitico citatis utitur verbo כסח præcisidit amputavit, quod de vitibus adhiberi Buxtorfius in Lexico Chald. Rabb. ad hanc radicem rectè asserit. Accedunt & nomina è radice Ebræa derivata, quæ cognitionem aliquam cum vite habent, & initio quidem id quod præmanitionem est nomen זמורה quod præter h. l. adhuc in quatuor aliis reperitur inque iis extra omne dubium notat palmitem vel furculum tum vitis fructiferae ut Num. XIII. 23. *Venerunt ad vallem Escalon & absiderunt ibi זמורה palmitem cum botrò uvarum.* item Ef. XVII. v. 10. *Idcirco utui plantaveris plantas amænissimas זר זמורת & palmitem extraneo i. e. exquisitissimo conseveris ipsam.* & Nahum II. 2. *Evacuaverunt eos depopulatores זמורה & palmites eorum corruerunt:* cum Sylvestris

4
 stris ut Ezech. XV. 2. *Fili hominis quid est lignum vitis præ omni ligno?*
 הזמורה *ramo qui est in lignis sylva.* Deinde descendit ex hac radice no-
 men pluralis numeri tantum מזמורות, instrumenta quibus furculi præ-
 scinduntur, falces nempe putatoriæ; quod itidem quatuor vicibus in
 sacro Codice extat. Semel quidem propriè ut Es. XVIII. 5. *Et ex-*
scindet flagella, במזמורות *cum falcibus, amputatoriis;* flagella autem
 זלזלים sunt propagines vitis luxuriantes, quarum abscissio aut remo-
 tio vitibus prodest, ut loquitur Schmidius com. ad h. l. Esaiæ. Im-
 propriè verò ter positum reperitur; nempe Es. II. 4 & Michæ IV. 3.
 Joel. III. 10. ubi tropologice & per metonymiam omnia quidem in-
 strumenta rustica, in specie tamen illa quæ ad culturam vineæ spe-
 ctant denotat. Duo adhuc quæ supersunt derivata, bene ad signifi-
 catum hunc reduci possunt. Primum nomen זמר Es. XXV. 5. *זמר*
palmitem aut canticum sortium humiliabis. (est forma constructæ ab
 absolutâ זמר occurrente Cantic. II. 12.) cujus utraq; quidem signifi-
 ficatio locum habere potest, cum, sive quis per palmitem, sive per
 canticum vertat textui nulla vis inferatur; ejus enim scopus est docere
 Deum Tyrannorum vires & potentiam aut triumphum humiliaturum
 ut rectè annotavit Mollerus comment. ad h. l.; præstat tamen ut ex
 priorè significatione nomen interpretetur per ramum vel palmitem.
 Præterquam enim quod ita plurimi interpretum vertant ut Vulgata.
 LXX. Syrus & ferè omnes Latini; etiã metaphora, quæ in hoc com-
 mate latet, melius ex ista significatione eruitur. Optimè enim Ty-
 rannorum vires & potentia eorumque progenies comparantur furculis
 & palmitibus vitis, in hujus exitium lascive exerescentibus. Alterum
 nomen quodammodo dubium זמר Deut. XIV. 15. occurrens, animal
 quoddam mundum denotat, s. autem fit Alce, sive Camelopardalus, sive
 Capra rupicola, sive aliud quoddam, tale tamen dicitur metaphoricè
 ab incisione palmitum; vel quod ramos distensos in cornibus vel quod
 scissas habeat ungulas. vide Pagnini Thes. Ling. S. ad h. rad. Arnoldi
 Bootii Miscellaneor. lib. III. c. 1. Kempium de Oculis Disp. VII. §. 16.
 §. IV.

Deinde significat verbum זמר *cecinit* & reperitur in hac signifi-
 catione in nulla alia præter Piel Conjugatione, quin & in hac non in
 omnibus temporibus, siquidem ex præterito & participio nullum, ex
 infinitivo duo tantum, ex imperativo verò & futuro plura prostant
 exempla

5
 exempla. Nomina ex verbo hoc deducta eandem significationem ser-
 vant, ut (α) זמרה Canticum, & ex eo nomen constructi status for-
 mam habens זמרת Gen. XLIII. v. 11. *Sumite vobiscum. זמרת de*
Cantico i. e. *de decantatissimis & laudatissimis rebus aut fructibus terra*
hujus. Ubi nomen constructi status pro adjectivo superlativi gradus
 ponitur ut in illo Genes. XXVI. 35. *Et erant (uxores Esavi) זמרת רוח*
Amaritudo Spiritus, i. e. *amarissima & molestissima*, notante Glassio
 in Philolog. Sacr. Lib. III. Tract. 1. c. VII. col. 558. (β) זמור Psa-
 lmus & זמרות instrumenta musica, quæ vox tantum in plurali
 usurpatur. 1. Reg. VII. v. 50. 2. Reg. XII. 14. &c. (γ) זמיר quod
 semel tantum in toto sacro Codice hac in forma nempe Cant. II. 12. re-
 peritur, aliàs & in constructo statu extat Es. XXV. 5. de quo in
 §. precedente. Equidem & in hoc Cantici loco ut apud Esaiam tum
 palmitem tum canticum notare potest, hinc namque Chaldaeus, LXX.
 & Vulgata tempus putationis, Tremellius verò & Munsterus, imo &
 Dillherrus in comment. ad h. l. tempus minuritionis aut cantilationis,
 avium scilicet vertunt; Et neutra expositio textui contrariatur. In
 illo enim describitur Vernum tempus à jucunditate & svavitate sua,
 quod in illo flores appareant avicula cantillent, [a. vites putentur] vox-
 que turturis audiatur. Utraque etiam actio in Vere accidit; putantur
 in eo vites, & avicula omnium svavissime cantant; neutra ergo à textu
 recedit. Putamus tamen commodius hic vocem exponi de cantu,
 quod is majorem jucunditatem & svavitatem temporì verno conciliet
 quam vitis demum putanda, adeoque omni viriditate destituta: quem-
 admodum supra de voce hac ex Esaià diximus, quod ibi prævaleat signi-
 ficatio palmitis aut furculi. זמר ergo per se suaq; derivata CANTARE
 significat.

§. V.

Multi hac generali significatione non contenti, de sola modula-
 tione artificiali verbum capere volunt. Atque hanc notationem pe-
 tunt ex priori hujus verbi significatione, quâ incidere aut secare notat,
 ut זמר non simpliciter canere, sed artificiose ad certam incisionem,
 numerum & casuram psallere significet. Observavit illud Bohlius in
 dissert. XIII. de formali significationis eruendo §. 38. & 39. *vois*, in-
 quit, זמר formale dico esse in præcindendo - - in materialibus significa-
 tionibus significat cecinit, quia cantus nihil aliud est, quam præcisio vo-

cis ubi aliquis non mugit, vel grunnit, vel rudet, vel clamat, vel vociferatur, sed artificialiter canit. Ante Bohlium id annotavit Pagninus in Theſ. idque ex aliorum jam opinione. Sic enim ad radicem זמר ſcribit: *Volunt quidam hanc ſignificationem ex ſuperiori ductam ut inciſionem musicam ad vocem relatum ſignificet ſeu modulationem.* Quæ nota critica ſimpliciter rejicienda non eſt, maxime ob id quod non tantum naturalis ſonus, ut mugire, hinnire, rudere, pipire &c. ſed & inconditus, ut vociferari, clamare &c. in lingua Ebræa propria ſua themata habeant, neque de iis radix זמר ullibi prædicetur. Verum adeo tenaciter ei inhaerendum non eſt. Nam ſupra ex Cant. II. 12. audivimus vocem זמיר de naturali muſica avium dici. Deinde illi, quod Pagninus l. c. addit: זמר in eo diſſerre à שור quod hoc generaliter cantiones ſolutas & vulgares, illud verò modulationes arte compoſita denotet: obſtat hoc quod Pfalmi Davidici, qui artiſcioſiſſimè compoſiti, non modo absolute מזמור ut Pfalm. III. IV. V. VI. &c. ſed & nomine שיר v. c. Pf. XXX. XLV. XLVI. XCII. & conjunctim שיר מזמיר Pf. LXXV. LXXVII. LXXVIII. imo ordine inverſo שיר מזמור ut Pf. XLVIII. LXXXVI. LXXXII. & alibi inſcribantur.

§. VI.

Alii volunt זמרה & מזמור illas connotare cantiones quæ in laudem alicujus ſunt compoſitæ; unde Bohlius l. c. addit: *ubi quis verba in alterius laudem componit.* Hoc quidem verum eſt, ſed notandum tamen, non ſolas hæc voces tale carmen designare; proſtant enim exempla in quibus non מזמור aut זמרה ſed שיר aut alio nomine vocatur. Probat illud præfertim titulus Pf. XLV. in quo tantum non omnia quæ ad laudem Dei ſpectant adducuntur, ille autem non מזמור ſed שיר ידירות carmen amorum, in quo ſponſus & ſponſa dignis laudibus celebrantur, inſcribitur. Quin ad illum quem Bohlius citat legum nempe Pf. CXXXVIII. 1. adhuc reponi poteſt: dubium eſſe an ibi verbo זמר muſica vocalis, & non potius instrumentalis deſignetur. Elias Levita apud Buxtorffium in Lexico Chaldaico-Rabbinico huic ſententiæ ſuccurrit, quando ſcribit verbum Ebræum זמר in Targum ſemper reddi per שבח laudare, exceptis aliquot locis in Pfalmis, ubi זמר retinetur, nempe Pf. CV. 2. CXXXII. 2. XCVII. 2. & aliis. Verum & huic aſſerto instantiæ obſtant. Etenim Pf. XXI. 14. pro Ebræo זמר Chaldaeus habet נרוע *Exultabimus* & Jud. V. 3. Ebræum זמר

7

זמר reddi per מורה celebrabo. Præterea & illud adhuc observandum, quod verbum Chaldaicum שׁבַח latissimi usus sit & non tantum pro Ebræo זמר sed & שׁוּר, הוֹלֵל & תָּנַן, פָּאָר & תָּנַן sumatur, de quo vide Buxtorff. in Lex. Chald. Rabb. p. 2306. Ut adeo verbum זמר de carmine in laudem alicujus composito universaliter prædicari non possit. Adhuc Pagninus ex aliorum mente l. c. notat, sumi hoc verbum posse de musica instrumentali; cui sententiæ proprium adjicit calculum scribens: *Puto proprie ad instrumenta referri.* Et sane hæc sententiæ obiter spectata videtur aliquid habere in recessu. Etenim præter id, quod ex hac radice derivetur nomen pluralis numeri tantum מזמרות instrumenta musica notans; sæpe hoc verbum instrumenta musica conjuncta habet ut Pf. XXXII. 2. *in Decachordo* לֵר זָמְרוּ *Psallite ei* conf. Pf. CXLIV. 9. & *אֲזַמְרָה psallam tibi in Cithara.* Pf. LXXI. 2. XCVIII. 5. CXLVII. v. 7. præsertim Amos V. 2. *זְמֵרָתָם concentum Nabliorum tuorum non audiam.* Verum hoc fundamentum adeo firmum non est, ut ei tutò inniti queamus; nam præterea, quod alia prostant derivata quæ ad ipsum cantum modo referuntur veluti זָמַר & זְמֵרָה, & aliud verbum יָרָה celebrare laudare cum instrumentis musicis conjunctum sæpe legimus, ut *הוֹדוּ לַאֲדֹנָי Laudate Dominum in cithara* Pf. XXX. 2. & *אֲדֹנָי Laudabo te in nablio* Pf. XLIII. 4. & LXXI. 22. quod tamen propterea proprie de instrumentis musicis non usurpatur. Nobis ex hæctenus dictis id ponere liceat, verbum זמר in conjugatione Piel unà cum adductis derivatis significare: *naturaliter, artificialiter voce & instrumentis in laudem DEi aut hominum cecinit.* Tandem ex hac verbi significatione præsertim Judæi & quidam Christianorum derivant quoque nomen זְמֵרָה quod sonum sed per os inferius demissum denotare dicunt; vid. Bohlium l. c. & Buxtorff. in Lex. Chald. Rab. p. 676.

§. VII.

Ex hac duplici thematis acceptione varia vocis זְמֵרָה in nostrum locum promanavit expositio. Sunt qui ad postremam canendi notionem respicientes eam de sono sive cantu capiunt. Huc ex interpretibus citatis spectant: Chaldæus, LXX. Symmachus, Theodotion, Syrus, Pagninus & Munsterus, cum insigni tamen inter se pugna & contentione. Symmachi enim *זְמֵרָה* ὡς ἀφ' ἑαυτῶν Hieronymus exponit *per sædum rancumque sonum de uaribus in contemptum DEi procedentem,*
lib.

lib. III. comm. in Ezech. c. IX. quod & reducendus ille. LXX. & Theodotionis $\mu\sigma\sigma\alpha\tau\eta\zeta\sigma\mu\delta\varsigma$, is enim sonum quidem sed narium cum adjuncta subfannatione significat. vid. Luc. XVI. 14. Gal. VI. 7. nisi quod hic ultimo nominatus interpres videatur velle utramque nominis זמורה significationem conjungere. *Extendunt palmirem quasi subfannantes me.* Hâc etiam Syri interpretamentum spectat, quem verbo ܘܒܐܢܗܠܝܬܘܢ anhelitum narium indicare §. 2. diximus. Pagninus

vero & Munsterus cum aliis vocabulum hoc per sonum quendam oris sed inferioris cum insigni foetore conjunctum non tam Scripturâ quam Judæorum autoritate adducti explicant. Sic enim huc trahunt Chaldaeorum ܡܘܢܨܬܪܘܢܐ . *Ipsi adducunt כחותה pudorem h. e. rem pudendam ad nares suas.* R. Nathan in Aruch ad radicem תרר scribentem זמורה ומשלח רוח כסנו מתמלא *Repletur venter ejus flatu & emittit crepitem.* Et Kimchi qui in lexico ad rad. זמר זמורה exponit per עוּשׂוּ ריחה *odorem malum*, in comment. vero ad h. l. per עוּשׂוּ מלמטה *Sternutationem inferiorem.* Tali ergo ratione de obscœno strepitu vocem in nostro loco capiendam urgent, quanquam in textus circumstantiis exponendis non conveniant. Cum enim זמורה in fonte referatur ad אפס disceptant inter se ad quorum nares foetor fuerit emissus. Quidam hunc honorem Soli vel idolis tribuunt & Judæos spurcis sonitibus falsos suos Deos salutasse autumant. Id in nuère videtur Castellio in sua versione scribens: *Mittunt foetorem ad nares illorum.* Meminère quoque hujus expositionis Calvinus & Oecolampadius in comm. ad h. l. item Gatackerus Advers. Miscell. c. 48. p. 470. quorum verba infra dabimus.

§. VIII.

Alii non ad solem vel idola sed ad ipsos idololatrias foetida hæc thymiamata referunt. Ex Judæis רשי propterea DEUM audit comminantem, quod obscœni flatus in sui contemptum emissi ad proprias Judæorum nares sint reversuri, quemadmodum apud Malach. c. II. v. 3. victimariis profanis interminatur Dominus, victimarum suarum stercora semet in eorum ora rejecturum. Verba Judæi ex comment. in h. l. apponimus: $\text{הנכם שולחים אל חוטמם את ריח רע של זמורה זו שהם מזמרים ברוח היוצא מפי טבעת כלומר כושחם זה אל פיהם ישוב}$ *Et ecce illi mittunt ad nares suas odorem malum.*
qui

9

qui cantus est quo psallunt me sono exeunte ex podice: quasi diceret Turpitudine ista ad os eorum revertetur. Quo cum amice conspirant Judæi in versione Germanica reddentes און כונה זיה שיקן דאן און כונה זיה און איר איינזי נאזין נשטאנק און איר איינזי נאזין Similem glossam adornavit Joh. Brennius comm. ad h. l. scribens: *Alii pro ramum factorem vertunt, quasi dicat: ipsi faciunt nefandis facinoribus suis, ut ira mea adversus illos excitata paria sim redditurus eis; nempe factorem in naribus eorum, h. e. faciam eis quemadmodum mihi fecerunt, pro ingratis invisisque sacrificiis, quæ idolis aut mihi in idolis obrinuerunt, ingrata & invisæ illis immittam supplicia, ut quemadmodum mihi terga obverterunt, supra v. 16. Sic & ego eos licet orantes non exaudiam.* Eodem facit & translatio Pagnini, quem Genevenses sunt secuti: *emittunt factorem ad nares suas*, quod Lavaterus illustrat ex Proverbio Germanorum, quibus odorem terrum sibi facere perhibentur illi, qui ingratos sese & odiosos reddunt. Maldonatus in comm. ad h. l. ex nostris verbis conficit Judæos rebus malis quasi crepitibus fuisse delectatos; *admovent inquit factorem malum ad nares suas, i. e. letantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis, ut dicitur Prov. II. 14. Sicuti facere solent ii, qui cum stercus aut aliquid fætidum tetigerint manum ad nares suas amoveant, quasi factore illo delectentur.* A quo non multum abijt Thomas Malvenda Tom. V. Op. ad h. l. scribens: *Et ecce ipsi mittunt canticum cantionem modulationem ad nasum suum. Tectò & honestò vocabulò videtur crepitum ventris indicare, quasi diceret; adeo scelerati sunt & impudentes ut cum extreme malefaciant non magis curant, quam crepitum ventris. Oppedunt sibi in nasum ludentes & nihil facientes impierates suas.*

§. IX.

Porro aliqui DEum introducunt conquerentem de abominandis flatibus sibi factis, atque eo fine nostrum comma cum septendecim aliis Scripturæ locis correctrices Scribarum manus admisisse profitentur. Nempe cum parum honestum ipsis videretur ad DEI nares odorem halitumq; ejusmodi emitti, visum nasutioribus istis id, quod vates parum honestè protulerat, honestius scribam descripsisse & pro naribus meis, nares ipsorum substituisse. Id ex Ebræis docent Masorethæ, quando ad h. l. scribunt: חר מן יד מילין תקון סופרים Una ex octodecim vocibus quæ correctiones scribarum vocantur. Similiter

B

Kim-

אפם: רל אפי אלא שכינא הכתוב והוא Kimchi in comm. ad h. l. Hoc est אפם אחר משמנה עשרה מלין שהם תקן סופרים
 FACIEM EORUM, vult dicere faciem meam, illud fit ob majestatem.
 Scriptura & est locus hic unus ex 18. qui correctiones scribarum vocantur.
 Idem tradunt ex Christianis Raym. Martini in Pugione fidei p. 222.
 244. 548. 669. Edit. Paris. & Porchetus in Victore adversus Judæos c.
 15. Galatinus de arcanis Cath. verit. lib. 8. c. 19. Schindlerus in Le-
 xico col. 492. Bohlius l. c. §. 41. Quam Judæorum & Judaizantium
 opinionem quoque refert Lyranus in sua postilla ad h. l. ita scribens.
 Hebræi dicunt quod hæc est litera & ecce applicant factorem ad naves su-
 as, tamen secundum Hebræos fuit scriptum ad nasum meum, sed quia
 istud videbatur contra DEI reverentiam ideo scribæ mutaverunt, sicut
 & in pluribus locis aliis. Et vocatur apud Ebræos Tiquin Sopherim i. e.
 adaptatio scribarum hic ponendo ad naves suas, ita quod factor ad idolo-
 latras referatur agendo & suspiciendo.

s. X.

Sed cum adhuc in quæstione maneat, quid iste malus odor, DEO
 aded molestus, denotet? mirum sese cruciant commentatores in hoc
 nodo resolvendo. Kimchi hunc factorem de obscæno crepitu inter-
 pretatur, quasi Judæi nudatis natibus adversus templum alvum exone-
 averint; obscæna rei ipse fidem faciat i. e. : והנה הם מקטרים בביתו :
 ושולחים רוח הקטרתם אל אפי מלכד הבזוק שעושים לו
 שמחזירין אחריהם אל היכלו: הזמורה: פרוש רוח רע והיא
 על דרך כנוי לקטרת שהיו מקטרין והוא עטוש מלמטה
 לפיכך תו מיתון כהתא לאפיהון ותרגם בשת כהתא והוא מקום
 הבשר: Et ecce illi suffitum faciunt in domo mea & mittunt odorem
 suffitus sui ad naves meas præter ignominiam qua afficiunt me, quan-
 do obvertunt posteriora suo templo meo. הזמורה Explicatio odorem
 malum Est descriptio suffitus qualem suffitum faciunt, nempe sternutio-
 nem ab infra, unde & Chaldaeus reddidit: adducunt pudorem ad naves
 suas & explicat per podicem, quem vocat כהתא erubescenciam
 quod locus sit pudoris. Eodem modo etiam Isaac Abarba-
 nel exponit locum אפם רל אפי את הזמורה אל אפם כיון

כיוון בו אל הקטרת שהיו מקטירים אל העבודה זרה
 ולגנאי קראו זמורה שפירושו ריח רע ורשי כתב והנם שולחים
 אל חוטמם אל ריח רע זמורה זו שמזמרון ברוח היוצא מפי
 המבער *Et ecce mittunt sonum ad nares suas i. e. preparant suffi-*
mentum. Etenim & suffimentum faciebant in cultu suo idololatrico.
Vox autem זמורה rem aliquam turpem denorat odorem scil. malum,
quemadmodum Raschi scribit. Illud ecce mittunt ad nares suas odorem
malum, indigitare vocem זמורה quod psallant ventò exeunte è podice.
 Honestius rem retulit Vatablus in notis ad Biblia ex editione Stephani
 Hannov. 1605. in Q. *Alii, inquit, ex commentariis Ebræorum legunt,*
mittunt facorem, crepitum ventris in faciem meam, quasi dicatur, vi-
dentur mihi oppedere in faciem. Eandem explicationem prolixius
 proponit Capellus in comment. & notis criticis ad h. l. iniquens: *Ju-*
dei obvertendo se ad solem adorandum & posterioribus ad templum ob-
versis, idem fecere acsi ad ipsum irritandum & in ipsius contemptum cre-
pitum ventris in nares ipsius immisissent. Consentit cum his Grotius
 in Criticis Anglicanis. Alii sub denominatione crepitus, ingratas
 Judæorum modulationes hic perstringere Deum autumant, ita qui-
 dem ut pari loco illas se habere dicat, ac ventris fœtidos crepitus, quo-
 modo apud Senecam Ep. 91. de hominum vulgo satis Cynice Deme-
 trius Cynicus ait: *Eodem loco sibi esse voces imperitorum. quo ventre*
redditos crepitus. Nihil enim referre sursum illi an deorsum sonent.
 Ad quam interpretationem alludens Hieronymus: *Hereticos, ait,*
quando laudare voluerunt Deum magis turpi sonitu blasphemare atque
irridere estimandos. Facilius rem expediunt illi, qui hunc odorem
 malum de muneribus & suffimentis Judæorum accipiunt, eorumque
 odorem tetrum gravemque DEo fuisse statuunt, quomodo aliàs Es. I
 v. 13. DEus pronunciat impiorum adolentium suffitus abominabi-
 les esse sibi. Hanc sententiam defendit R. Menachem, cujus verba
 retulit Jarchi comm. ad h. l. atque hæc sunt: *והנכם שולחים את*
הזמורה אל אפם ענין דופי וקלון הוא לפירישו השנה ריח
מקטרת וכעס קרבנם וניחוחם למלאכת דופי נקבם ואחוריהם
אל היכל יי יורה על הענין : *Et ecce significat infamiam*
& ignominiam cujus expositio est. Comparat odorem suffitus eorum,
& irascitur oblationi eorum cum opere infami meatuum i. e. evacuationis

alvi. Huc etiam suam expositionem dirigit Munsterus ad h. l. scribens: *Per odorem malum intelligit suffitum idolis exhibitum. - - aut certe per hunc pedorem intelligit detestabilem odorem sacrificiorum Diis alienis impio animo exhibitum, quo illi digni erant. Eodemque concedit Ludovicus Lavaterus verbis: Suffitum idolotytorum intelligit, quod piis naribus nihil est graveolentius. Quocum consentit Clarius in Criticis Anglicanis ad h. l.*

§. Xi.

Sistimus jam alterum Criticorum agmen qui Scriptura duce זמורה de ramo explicant. Sed cum etiam hi in adornando textus sensu valde variant, & nonnulli quidem ramum proprie, nonnulli verò tropicè & figuratè exponant; hinc singulas singulorum sententias ordine lustrare non pigrabimur. Accipit verò ramum initiò metaphoricè Andreas Schottus in Adagialibus Sacris N. T. Græco-Latinis apud Crenium Fasci. III. Exerc. Philolog. Hist. p. 428. cumque pro manupositum opinatur, quasi ramum admovere ad faciem sit osculari manus ad morem idololatrarum. *Homo, inquit, arbor est & planta sed inversa præcis Philosophis Aristoteli ac Platoni. Sursum enim os pro radice gerit, at arbor terræ infixæ radices agit. Unde Poëta lib. I. Metamorph. v. 85.*

Os homini sublime dedit . . .

Et cæcus ille Evangelicus Marci VIII. 24. homines vidit ut arbores ambulantes. Rami verò sunt: hominis brachia atq; curæ cum suis quoq; digitis; ut Ezech. VIII. v. 17. Ecce applicant ramum ad nares suas, & Job. XXXI. 27. Osculatus sum manum meam ore meo, de ritu loquentes adorantium, ut de Podagricis Persius Satyr. V. v. 59. Fregeret articulos veteris ramalia fagi. Metonymice locum explicant Junius & Tremellius in editione prima, quibus palmes hic ponitur pro idolo ex palmitate facto. Admittunt, ajunt, palmitem ante faciem suam, b. e. in causa idololatriæ tantopere astuant & seruntur in superstitionem precipites ut vel ineptissimum quodq; lignum occupent in fabricandis idolis, potius quam ut idolò careant. Est enim sarmentum lignorum omnium ad fabricationem incommodissimum ineptissimumq; conf. c. 15 2. Figurata verba capit Johannes Lightfootus in Horis Ebraicis & Talmudicis ad Joh. c. XV. 6. scribens. Eodem significatu (sc. pro vite Sylvestri) ego זמורה sumpserim apud eundem Prophetam Ezech. c. VIII, v. 17. --

וְעַתָּה, aut ut lectum volunt Masorethe וְעַתָּה, ego non per
 naris reddiderim, sed per iram, ut hic sit sensus: Hi fa-
 ciunt abominaciones istas replentes terram iniquitate, conversi sunt
 ad irritandum me: Et ecce mittunt palmitem vitis sylvestris ad iram
 meam, vel ad iram suam, i. e. quam meruerunt. Quasi dicat eodem
 modo, quo addit quispiam lignum ad focum palmitem vitis sylvestris ad
 ignem ut accendatur vehementius, sic & illi mittunt & apponunt palmi-
 tem ad iram meam, vel ad iram suam, quam meruerunt, ut excande-
 scat acrius. Sequitur ergo: Ergo & ego faciam in furore, non parce-
 oculus meus &c. Similem allegoriam nectit Joh. Calvinus, cui phra-
 sis ramum emittere est coacervare peccata peccatis: *emittunt* inquit
ramum in iracundiam suam ac si dictum sit eos mala malis cumulando in
perniciem suam DEum adversus se provocare; Itaque enallagen esse
 vult numeri singularis pro plurali, quasi dictum sit: *cum itaque ramos*
emiserit & pullularit eorum improbitas non adversus secundam tantum
legis tabulam, sed adversus priorem etiam longe lateque grassando, fo-
re tandem ut in perniciem suam excandescantie divinae furorem experi-
antur. Cui geminum videri possit quod c. VII. v. 10. n. denunciatur eod-
 dem ipso die vel mane etiam fore, ut propere adventat & efflorescat virga
 furoris divini, eo quod superbia germinaverit & violentia in virga im-
 probitatis adoleverit. Imo & nasus sive nares pro iracundia passim pon-
 nitur, quod index ejusdem habeatur in eoque plurimum se prodat, ob-
 servante Gatackero in Advers. Miscell. Cap. 48. p. 471. Quomadm-
 dum vero hac in re sine dubio prælusit Calvino Theodoretus scribens:
 κὶ ἰδὲ αὐτοὶ ἐκείνους τὸ κλήμα ὡς μυκτηρίζοντες με.) Ἐγὼ γὰρ Φησὶν
 ἐξελ. ξάμην αὐτὰς κὶ τὰς ἄλλας δια τῶν ἀποσῆσαι τῆς ἀσεβείας βε-
 λοῦμαι. αὐτοὶ δὲ ἢ μόνου ἀφελείας ἢ μετέδωκαν ἀλλὰ κὶ δυσσεβεί-
 ας ἡολιμήμασιν ὡς πᾶσαν λοιπὸν τὴν γῆν ἀνομίας πλήρη γενέσθαι.
 ἰξέτεταν γὰρ τῆς ἀσεβείας τὰ κλήματα ἐναυσία τῷ ἐμῷ ὄρωντες σκω-
 πῶ. Et ecce ipsi extendunt palmitem sicut subsannantes me.) Ego enim
 elegi eos inquit hoc consilio, ut opera ipsorum alii quoque ab impietate de-
 sciscerent; Ipsi verò non modo cum ceteris utilitatibus non communica-
 runt, sed magis impia ausi sunt facinora patrare, ut in reliquum omnisi
 terra iniquitate compleretur. Propagaverunt enim ramos iniquitatis
 meo contrario consilio committentes. Ita utrumq; secutus est Jacobus
 Goussierius in comment. Lingvæ Sanctæ, Anno 1702. Amstel. & Ul-

traj. Fol. editis sub זמר p. 231. ubi uberius hanc expositionem & illustrat & comprobat hisce verbis. *Quod ad locum Ezech. VIII 17. Interpretes nec proprietatem verbi שלח nec זמורה servant. Nam זמורה est palmes vitis ei inhaerens & שלח non dicitur de re adnota ad se ad faciem, ad nares suas proprias, ut nec de suffitu. Dicitur autem de planta arbore mittente ramos sibi inhaerentes, & radices, prout ad שלח observo. Quare nec convenit homini quod mittat זמורה in sensu corporeo hic enim est arboris ipsius actus. Proinde sensus debet esse spiritualis; אף iram hic esse indicatur in versu sequente per ἀνταπόδοσιν חמה ira divina, connexa per וגם etiam ego quoque agam irā & iis non parcam. אפס אלהי potest exponi ad iram suam exsequendam, ut Esai. XIII 3. אלהי ad iram meam exequendam. Illi in hunc usum שלחו זמורה mittunt ramum. Comparandi sunt Israelite viti h. l. prout Es. V. 1. & viti quoque ramos malos mittenti, quos primum in idololatriā pessima consistentes descripsit hoc cap 8. Hic autem addit eos, hanc vitam corruptam, huic ramo adjunxisse alium ramum, nempe iram contra DEum, Prophetasque ac viros fideles, caste DEum colentes, & ut ad suam idololatriam sic ad hanc suam iram exsequendam fecisse sibi media apta conf. c. VII 11. Hec est זמורה ramus peculiaris quem שלחו ediderunt אפס אלהי pertinentem ad iram suam exercendam.*

s. XII.

Proprie qui ramum explicant & ipsi quoad sensum non conveniunt. Quidam enim generatim quemvis ramum & quoscunque plantarum furculos intelligunt ab idololatriis circumlatos vel (α) impiæ & blasphemæ obtreccationis causa, quod voluit LXX. & Theodotion: ἐπιείκτως τοὺς κλημένας ὡς μωκῆσαι ζῶντες, cujus vestigia legit Arabs in Bibliis Anglicanis: ipsi extendunt ramum ut irrisores. Vel (β) in signum testandæ innocentiae quasi prævaricatores ludicro tegmine puta plantarum furculis suam voluissent obvelare impietatem, quæ Junii expositio in commentario super Ezech. posthumo ex Bibliopolio Comelinianno 1610. in 8vo edito ubi ita legimus: *Restat postremum crimen, nimirum indignè hypocrisos, quemadmodum indicat demonstrantis particula. Ecce. Nam Ecce inquit isti præmittunt ramale sive frondem ante faciem suam, tanquam si hoc ludicro tegmine obvelare possent impietatis suæ tam multa facinora & se pro puris venditare. Et si hoc quoq; (ut ante sumus interpretati) exponi potest tanquam de præsentii ipsorum impietatis mani-*

manifestoꝝ documento, præmittunt ramalia, frondes vel furculos arborum ante faciem suam puta quos soli consecrent & idolis suis. (V) in signum adorationis & ejusmodi cultus idololatrici, quando nempe idola ramis tangebantur, atque hi retracti osculo excipiebantur. Id intendisse sua versione Vulgatum *Et ecce applicant ramum ad nares suas.* Lucas Osiander autumat: *Videtur, inquit, fuisse species cultus superstitiosi ut ramum virentem aut vitem primo admovent ad statuam idololatricam, eamq; vitem deinceps ad nares (quasi oblectantes se sacro odore) admovent, quemadmodum in Papatu sacras quas vocant reliquias exosculantur.* Idem jam ante cura ad præsentem vulgati locum Lyranus observavit: *Ere ecce &c. quod exponunt Doctores nostri, dicentes: quod quia idola erant in alto elevata, ideo isti idololatra elevabant ramos ad tangendum ea, & postea applicabant ad nares suas in reverentiam idolorum.* Cui pollicem premit Vatablus, in primis autem Hugo de Sancto Charo, inquit: *Cum idola in eminenti posita, quia non poterant illuc attingere, ramis tangebant & tunc osculabantur ramos. Item consuetudo fuit gentilium, quod, quando remoti erant à loco idolorum suorum, manus extendebant versus locum illum & ea qua tenebant, & tunc in veneratione idolorum manus osculabantur & ea que tenebant; unde habetur Job. XXXI. 27. Si osculatus.* Quibus & subscribit Arias Montanus in lib. Jeremias five de actione p. 8. *Applicabant ramum ad nares suas, certa vani cultus cremonia ad ortum solis adorantes, quasi odoris suavitatem soli tribuentes & ascribentes.*

s. XIII.

Solicitiùs textum enodantes alii, certum quoddam ramorum genus hic determinant. Et quidem Hieronymus per *רַמְּוֹתַי* *ramothai* seu palmarum frondes mavult intelligere. *Significat, ait, viginti quinque viros, qui in quadrum solida statione fundati sunt, & à quinq; sessibus per quinq; quinq; quadranguli figuram efficiunt, non solum templum habere post tergum, sed instar idolorum applicare ramum ad nares suas: haud dubium quin palmarum, quas Græco sermone *ramothai* vocant, ut per eos idola adorare significet.* De palmis quoque textum interpretatur supra citatus Hugo, in hoc tamen ab Hieronymo discedens, quod hic palmas solutas, ille in corollæ forma connexas indiget: *Per hoc notat idololatriam, quia sacrificantes idolis superponebant capitibus suis coronas de ramis palmarum, ita quod rami descendebant ad nares usq;.*

Sicut

Sicut verò Hugoni non est infrequens multas sibi æquè probabiles expositiones cumulare, ita & hic quod ante de palmis explicuit mox ad laurum etiam applicat pergens: *vel etiam de lauro potest intelligi, cujus ramum postquam sacrificaverant superponebant capitibus suis, qui descendebant ad nares: ut sic somnia vera viderent.* Arripit hanc sententiam Cornelius à Lapide, eamque ut stabiliat, plurima de lauro ex Gentilium Sacris de prompta adfert in medium, quanquam his multa alia à scopo aliena commisceat. Verba ejus licet proluxa ne quid huic tractationi desit, hic apponimus: *Rursum Zemora propriè significat ramum, scilicet lauri, qui soli sacer erat, ait Giraldus Synragm. 16. & Plinius lib. XII. c. I. Sicut enim Gentiles Jovi sacrificabant coronati æsculo, Minervæ olea, Veneri myrto, Herculi populo, Bacho Hedera 2. Maccab VI. 7. vel pampinis, Pani pino, Silvano & Diti cupresso, Isidi abrotano sic Apollini i. e. Soli sacrificabant redimiti tempora lauro. Athenis festus erat dies ramorum, quo in honorem Bacchi præferebantur ὄξου quasi ῥόξου h. e. tenues rami præsertim vitis, quasi viculi victimæ. Ex quo ὄξοφογοί i. e. ramiferi & festum ὄξοφογία. Quin & Josephus lib. III. 10. docet Judæos solitos pro gratiarum actione sacrificare manibus gestantes ramos myrri & palmae, ex quibus mala Persica dependebant, ut significarent cor & linguam Deo esse dicanda. Persicum enim frondes habet in lingua speciem acuminatas, fructus verò in cordis effigiem conformatos. Hinc & Hebraei Christum quasi Mesiam Regem inducentes Hierosolymam in die Palmarum ramos palmae & olivæ ei prætulerunt. Causam dat Porphyrius & ex eo Nicolaus Causinus EleEt. Symb. p. 212. Antiqui, inquit, neque thus neque aliam victimam offerebant: sed folia, velut primampubescentis naturæ lanuginem manibus decerpunt Diis adurebant: quò signò DEum creatorem testabantur, à quo herbae & fruges atque omnia à terra orta producerentur & adulescerent. Insuper coronabant non tantum se, sed & victimas & aras, quin & astantes Sol enim est rex astrorum, sic ut laurus arborum. Hinc laurus prisca symbolum & omen fuit regni. - - - Rursus credita est laurus æque ac Sol venena dispellere. Hinc Plinius lib. 15. c. 30. docet laurum illustrationibus adhiberi solitam. Insuper unica arborum laurus non ictur fulmine - - - Denique Romani Reges laurum, quasi proprium donum Apollini Delphico mittebant teste Plinio l. c. Videntur ergo Judæi conversi ad solem orientem eumque adorantes ramos non palmarum, ut*

S. Hieronymus sed laurige stasse manibus, atque eos quia odoratos ad-
 movisse naribus, quasi gratias agentes Apollini conditori lauri & auctori
 foavis odoris eosque osculando adorasse Apollinem, sicut osculo manuum
 adorabant solem Job. 31. v. 26. Cum enim eum osculari & contingere
 non possent ejus loco manum & ramum osculabantur, sicque eum adora-
 bant & venerabantur. Placent hæc Cornelii cogitata Jacobo Tirino
 Antverpiano è Soc. Jef. Theologo, ejusd. συγγράμῳ proinde id quod
 ille fufius diduxerat hic in compendio exhibet scribens: *Applicantes*
ramum lauri ad naves suas: quasi gratias agentes Apollini seu Soli au-
ctori lauri & foavis illius odoris; & ramum osculando, Apollinem eun-
dem adorantes, sicut aliàs solebant osculo manuum id ipsum prestare, ut
alibi dixi (Jobi XXXI. 27.) & fuse docent Plinius lib. XII. Lilius Giral-
dus Synt. I. 16. Lipsius lib. II. Eud. c. 6 & Pradus ad h. l.

§. XIV.

Altioris indaginis eorum est opinio, qui Judæos Ethnicorum
 more εἰσθεῖωνν adornasse & ob eam DEI comminationem incidisse exi-
 stimant. Autor hujus observationis extitit Franciscus Junius, qui
 priori mutata sententia in editionibus subsequenter דְּמִרְרָה de ramis
 omni fructu ὄρωγας onustis exposuit. Verba ejus cum pro variis edi-
 tionibus ipsa variant, hic singula sigillatim apponimus. Ita autem in
 Bibliis nec non commentario Tom: II. Operum pagin. 855.
 legimus: *Ecce autem jam præmittunt plantarum surculos ante faciem*
suam. Amplificatio à re presente, quasi dicat, quod eos averfantes
DEum ad solem vides respicere, eumq; adorare gravis quidem est impie-
tas, sed vide quid in manibus habeant oblaturi. Jam enim ramos omni
fructu τῆ ὄρωγας onustos quasi primitias soli & suis idolis hoc loco offer-
runt. vid. Jerem. XLIV. & Hof II. In Commentario verò super
Ezechielem ex Bibliopolio Comeliniano 1610. in 8. edito. verba
sic fluunt: (post illa, quæ jam superius ex hac editione sunt allegata)
Præmittunt ramalia. frondes & surculos arborum ante faciem suam,
puta quos soli consecrent & idolis suis. Deniq; ut exprobat Hoseas c. 2.
frumentum vinum & oleum conjugis sui i. e. viventis DEi & veri abri-
piunt, quod offerant scortatoribus suis & alienis perfidia summa (ut sibi
quidem videntur) sanctificent, idq; cum apparatu pompa & fastu amplissi-
mo, ut qui supplicationibus ferula pompatica gestare solent. Quæ
penfitans Thomas Gatackerus in advertariis Miscell. c. 48. p. 471. illa

ad *είρεσιώνη* seu *αίπνηθισμένην προς Φωρὰν* cujus mentio fit apud Clementem Alexandrinum lib. IV. Strom. referre nullus dubitat. Fuit verò *Είρεσιώνη* ramus oleæ vellauri, pro discrimine Deorum, quorum sacra parabantur. Laurus quippe Apollini, Olea Minervæ sacros frondes præbuit. Hesychius quidem in Glossis *Είρεσιώνη* tantum κλάδῳ ἐλαίας dixit, sed laurum quoque aliquando fuisse adhibitam indicat. Scholiastes Aristophanis ad Pluti Act. IV. Scen. V. p. 102. Edit. Genev. 1607. Fol. *Είρεσιώνη* θάλλῳ ἐλαίας ἢ θαφνῆς. Hujus generis ramum ἐρίω f. lana obtegebant, unde *είρεσιώνης* orta appellatio; eique fructuum & bonorum omnium primitias undique Athenas missas appendebant. Hinc Sophocles in Polyide à Clemente lib. 4. Stromatum & Euripid. ad Phæniss. Scholiaste laudatus de *είρεσιώνη*:

Ἢν μὲν γὰρ οἷός μιν κλὸς ἦν δὲ καὶ ἀμπέλων
 Σπονδῆ τε καὶ ῥαξ ἔν τε θησαυρισμένη
 Ἐὴν δὲ παρμάσπεια συμμιδῆς ὄλαις
 Δίπῳ τῆς ἐλαίας καὶ τὸ ποικιλότατον
 Ζεφῆς μελίσσης κηρόπλαστον ὄργανον.
 Huic incerat ovium vellus: incerat vitiuma
 Latex & uva cui suus perstat vigor.
 Et fructuum omne frugibus multum genus
 Et pinguis oleæ sudor: & flavens apis
 Quod multis forme struxit è ceris opus.

Et Scholiastes Aristophanis ad Plutum: *Είρεσιώνη* θάλλῳ ἐλαίας ἢ θαφνῆς ἐξ ἐρίων καὶ θάλλῳ συμπεπλεγμένῳ ἔχον ἀξίον ἐξηρημένον καὶ κοτύλην, καὶ σόκα καὶ πάντα τὰ ἀγαθὰ. *Eirestone ramus erat oleæ vel laurix lana ramoque complicatis, à quo dependebant panis, cotyla, ficus bona quæc.* Tales fructus atque fruges *Δαιμόνια* audiebant. Hesychius: *Δαιμόνον μάζα ἢ ζώμης, καὶ ἡ κρηπίς ὅς πλάκωντῳ, οἱ δὲ πέμματα ἐξαπτόμενα τῆς εἰρεσιώνης.* Non tamen poma, pira aliæque his similia quæ ferre ramus non poterat sub illis comprehendebantur. Inde Strabo lib. I. *Τὸ μὲν ἂν ἀπαντὰ ζῆσιν περιποιεῖν αὐτῶν προσεκτιπίπτουσι* ἂν τις ἐλπίσῃ Φιλοτιμία ὡς αἰεὶ τις, Φησὶν ὁ Ἰππάρχῳ, Ἀττικῆς εἰρεσιώνης κατηγοροῦν, καὶ ἂ μὴ δύναται Φερεν μῆλα, καὶ ὄχλας, ἔσως ἐκεῖ καὶ πᾶν μάθημα, καὶ πᾶσαν τέχνην. *Proinde omnia illi (Homero) si quis arrogare voluerit, ambitioni addictum nimis hunc jure quis censcat.* Perinde siquidem est ut Hipparchus ait, ac si quis At-

*Etia Eirefiona etiam que ferre nequit, mala pyraque adesse dicat: ita
disciplinas omnes arte que omnes poeta tribuat.* Instructum ita ra-
mum bellariis & vino irrigabant. Καταχύσματα δέ, κύλμα οὐκ κη-
ραμένην, καταχέοντες αὐτήν. Ethymologici Autor. Quibus similia
habet Eustathius ad Iliad. X. Post exceptum furculam puer ἐμφιδά-
λης; cui parens uterque erat superstes, ad fores templi Apollinis de-
portabat cantans:

Εἰρεσιώνη σῦκα φέρει, καὶ πίονας ἀγέλας
καὶ μέλι ἐν κοτύλῃ καὶ ἔλαιον ἀναψήσασθαι
καὶ κύλικι ἔυζωρον ἵνα μεθύσῃσα καθύδωρ.
Fert ficus panes fert pingves Eirefione
Et mella in cotyla atque oleum quo te ungere posses,
Fœcundum & calicem, quo somnus concilietur.

Qui versus extant apud Plutarchum in Theſco. Clementem Alex. Lib.
IV. Strom. princip. Scholiasten Aristophanis ad Plutum & ad Equites.
Eustathium ad librum X. Iliados, & apud Svidam &c. Finitis ibidem
sacris εἰρεσιώνῃ ante ædium fores statuebatur. Eustathius: Μετὰ δὲ
τὴν ἑορτὴν ἔξω ἀγέων τιτέουσι παρὰ θύρας. Quæ totidem verbis ha-
bes apud Svidam & Apostolium. Hic per totum annum pendit in-
tegra, donec annò redeunte nova reponeretur, Scholiastes Aristo-
phanis ad Plutum: Τάυτην δὲ τὴν εἰρεσιώνην πρὸ τῶν ἀιμημάτων ἐτίθεν-
το οἱ Ἀθηναῖοι καὶ κατ' ἔτος ἠλάττου. Hinc etiam ipse Aristophanes
in Pluto præcedentis anni εἰρεσιώνην subito flammam concipere prover-
bii formâ dixisse videtur, Act. IV. Sc. V. γ. 13.

Εάν γὰρ αὐτὴν εἴ μόνῃ πῦρ εἴη λάβῃ

ὡσπὲρ παλαιὰν εἰρεσιώνην καύεται.

Si ipsam una scintilla apprehenderit
Velut antiquam Eirefionem comburet.

Causam ceremoniæ præbuisse fertur pestis vel sterilitas, cujus averrun-
canda ergo eam Græci introducere. Sic nos edocet Scholiastes Co-
mici ad Equites Act. II. Scen. II. his verbis: ἰσάσω αὐτὴν εἰσέτι καὶ νῦν
ποιῶσι δὲ τῶτοκατὰ παλαιὸν τι χρησιμῆριον. Οἱ μὲν γὰρ φασι, ὅτι λι-
μὲν οἱ δὲ ὅτι καὶ λοιμὸν τὴν πᾶσαν καταχόντῃ οὐκ κημένην, χραμένων τί-
να ἂν τρόπον παύσαιτο τὸ δεινὸν τὴν λύσιν ταύτην ὁ πύδι εἰμανθεύ-
σατο. Εἰ προηρόιον ὑπὲρ ἀπάνων Ἀθηναίων θύειαν. Οὐσαντων ἐν
τῶν Ἀθηναίων τὸ δεινὸν ἐπαύσατο. In hoc usque tempus Eirefionem con-

stituunt. Illud vero faciunt ex quodam oraculo. Nam fame, ut quidam ajunt, aut peste ut alii volunt, universam terram occupante & sciscitantibus quomodo malum sedaretur: respondit Pythius remedio futurum, si Proerostia pro omnibus Atheniensibus facerent. Postquam igitur Athenienses sacrificassent, malum cessavit. Scilicet erant Proerostia aliàs Proacturia, sacrificium ad felicitanda aratri opera institutum, Hefychius: Προερόσια τὰ πρὸ τῶ ἀετῆρος θύματα καὶ ὁ Δημῶν δὲ ἀντὶ προακτιῶν τῶν καλῶν Proerostia sunt ante arationem sacrificia, & Demus ea Proacturia vocat, atque in honorem Cereris fiebat. Svidas ὁ Θεός εἶπε προερόσια τῇ Διοί, quanquam ante Apollini factum pronunciaffet. Ei adungebatur εἰρσιῶνη, vel maxime in honorem Apollinis seu Solis, quod hęc frugibus producendis imulturn inferviat, vide pluribus de εἰρσιῶνη. Petri Castellani Ἑορτολόγιον seu de festis Græcorum Syntagma. Joh. Fasoldi, Græcorum Veterum Ἰερόλογιον h. e. de plurimis Græcorum Gentilium antiquitatibus ritibusq; sacris, inprimis de festis, diebus, sacerdotibus, templis & aris, de ludis item & certaminibus dissertationem — n. IV. seq. Joh. Jonstori Schediasma de festis Græcorum Cap. II. n. XI. inprimis verò Johannis Meursii Græciæ Feriæ lib. V. sub tit. πυνέψια, quæ singula continentur Tom. VII. Theauri Antiquit. Græcar. Gronovii. confer etiam Joh. Potteri Archeologiam Græcam lib. II. c. XX. p. 397. Hujusmodi ergò ritum judice Gatackero sine dubio innuere voluit Junius, cum Judæos idololatræ & ipsos Solem seu Apollinem coluisse ex antecedentibus colligatur. Quæ in re consentientem habet Ursinum in Theologia Symbolica n. LVI. scribentem: Mibi εἰρσιῶνην innui placet. Fuit ea oleæ ramus lemniscatus, lana coronatus, signum supplicationis qualem appensis omnis generis primitiis manibus ferebant accinentes.

Ficus & pingves &c.

ad quæ postmodum etiam digitum intendit in quæstionibus Biblicis lib. III. n. IX. ubi tamen rem non bene tetigit, dum εἰρσιῶνην ex Daphnephoriis illustrat, in quibus nunquam usum habuit; lignum n. in his circumferri solitum κώπⓄ fuit dictum. Quam in rem legendus Castellanus & Meursius sub tit. Δαφνηφόρια.

s. XV.

Proffius textui inhaeret Megalander Lutherus, qui מורר secondum proprium significandi modum de ramo vitis seu palmite interpretatur:

tatur: Und siehe sie halten die Weinreben an die Nasen. Ritu-
 rō idololatricum his verbis notandum, generatim indicat Vir Beatis-
 simus; proinde in glossa marginali addit: Das ist eine Weise gewest
 im Gottes-Dienst / wie bey uns das geweyhete Salt / Wasser /
 Würge und dergleichen; dem Abgott zu Ehren. Id quod etiam ob-
 servat Forsterus apud Malvendam: *Describit ritum colentium idola ap-
 plicantium ad naves palmitem.* Specialius in superstitionem Judæo-
 rum hoc loco reprehensam inquirat Arnoldus Bootius, Thomæ Gata-
 ckero in Advers. Miscell. cap. 47. sub finem citatus. Hic enim cere-
 moniam in Bacchi sacris solemnem à Judæis usurpatam autumat, atque
 palmitem de thyrsō in Liberi festis usitato accipit. Ipsa Viri doctissimi
 verba ex Gatackero hic inserimus: “Puto, inquit, זמורה significare
 thyrsum, quem Bacchi festo in honorem ejus gestare idololatræ sole-
 bant, atque his verbis זמורה אל האם denotari certum gestum,
 quo concussus inter saltandum vel adorandum thyrsus faciei ac naribus
 admoveretur. In Græcia quidem atq; alibi, ubi hederæ copia ex ea &
 viteis palmitibus inter se implexis, tum capiti coronas tum hastis vela-
 menta, atque sic thyrsos concinnare solebant. Sed cum in Syria nul-
 lum fuisse hederam, illis saltem temporibus discamus ex Theophrasti
 lib. IV. Hist. c. 4. puto ibi cultores Bacchi folis vitis frondibus usos ac
 fortasse non hastas iis vestitas, sed firmiora per se flagella vitea gestasse
 uti זמורה idem hic quod & alibi semper significet. Possē autem solos
 per se palmites hastis non inductos thyrsos appellari percipere ex Jose-
 pho licet, qui ramos illos in festo scenopægorum gestari solitos à Ju-
 dæis, quos Rabbinī זמורה שבעה vocant, hoc nomine donavit lib. 13.
 Antiquit. c. 21. Et Hesychius inter alias thyrsi explicationes etiam
 κλάδον ponit. Solere autem Orgiastas illos, non tenere thyrsos tan-
 tum, sed & varie quaterere & agitare, satis constat: atq; ex Euripidis Tra-
 gœdia cui Bacchæ nomen aliquam multis locis doceri potest. H. I.

§ XVI.

Denique memoranda est eorum expositio, qui utramque זמורה
 & fœtoris & palmitis significationem combinantes, textum παροιμιώ-
 δεσ seu proverbialiter enodant. Hanc viam ingressus est Sanctius com.
 in h. l. *Pro ramo, ait, Heb. est זמורה quæ ramum significat & cantum.*
Et ut quidam Ebræorum existimant: Et cum his Pagninus, etiam fœto-
rem. Juxta postremam hanc acceptionem hanc ego magis explicationem

probarem: quod hisulti idolorum adoratores delectantur obscænis & re-
trum aliquid exhalante cæno: qualia sunt idolorum impura sacra, &
graviter olentes victima. Ut autem porci in cænum se non sine magna
voluptate demergunt in eorū, jucunde & diu volutantur, quia, quæ aliis
intolerabilem fetorem exhalant, illis pro rosa sunt & aromate fragrante:
sic ipsi à Patria religione imò jam ab humano sensu atq; natura degeneres,
fatentes ramos impio victimarum sanguine a. scelerato aliquo libamento
resparfos ad nares applicant, illisq; se oblectant, cum tamen & fæde pu-
deant & fateant intolerantur. Curiosior hac in re est Ludovicus La-
vaterus, qui nostra verba ex variis Germanorum Latinorumque prover-
biis illustrare laborat. Ego, inquit, missis aliorum interpretationibus
simplicem hunc sensum esse puto, salvo tamen doctiorum judicio, quod
suis sceleribus sibi ipsis penam accessant. Germani quoq; dicunt illos, odo-
rem retrum sibi facere, qui se ingratos & odiosos reddunt. Vel adhibent
naso suo ramum, h. e. sceleribus suis hostes suos armant & quasi ramos
eis præbent, quibus feriant eorum faciem. Videtur apud illos fuisse
proverbium. Latini multa habent proverbia, quibus significant aliquem
sibi ipsi autorem esse malorum, ex quo genere sunt illa: suo jumento sibi
malum accersit; suo ipsius laqueo capitur. Turdus sibi malum cacat. H. I.

§. XVII.

Hæ sunt illæ variæ & variantes loci Prophetici expositiones, quas
hac vice conquirere potuimus. Patescit vel ex nuda earundem recen-
sione facilius nobis futurum, aliorum interpretum nævos & hallucina-
tiones detegere, quam veritatem in profundissimo obsoletæ antiqui-
tatis puteo latentem hic apponere. Interea cum exacta & omnibus
numeris absoluta hujus loci exasciatio difficulter etiam promitti possit,
sufficiet regiam veritatis speciem è longinquo saltem conspexisse &
densissimis opininionum nebulis discussis in conjecturam probabilissimi-
mam penetrasse. Quod igitur primi ordinis autores spectat, quos
§. 7. & seq. recensuimus, cum his propterea consentire non possumus,
quod ipsorum interpretamentum ex זמרה deduci nequeat. Symma-
chi enim Syri & Theodotionis tonitum sive anhelitum cantui similem
non per זמרה à זמר putare, sed per זמרה à זמר canere He-
bræus reddidisset, quod Symmachum intendisse non incongruè quis
suspicaretur. Adhæc DEI verba non de Judæorum irrisione aut indi-
gnatione sed aperta idololatria esse accipienda, textus ipse indicat.

Pro-

Propterea etiam dissentimus à Pagnino & Munstero, quod fingant cantum quendam catachresticum. Ubi enim talis acceptio existit obvia? In monumentis Judaicis? Atqui hic versatur in explicando loco Biblico, ubi voces sensu Scripturæ solito sumendæ, nisi textus ipse singularem aliam significationem indicet. Imo si Aruch autoritate standum ipsis Judæis ignotum, quid significet hoc in loco זמורה verba sunt: זמר בפסיקתא דזכור לפי שלא היו ישראל ידעין מה שיזכר של זמורה *In Pesikta hujus sc. זמר mentio, nec sunt Israelitæ scientes quæ conditio זמורה.* Et R. Nathan in aureo Concordantiarum Opere nihil tale quid novit, nec aliter locum nostrum intellexit, quam de ramo, palmaite, ex genuina זמר significatione, quæ est putare; Sique dubitasset de ea procul dubio sibi usitata aliqua abbreviata notula signasset, saltem quod ab aliis sic exponeretur, legantur quæ habet Buxtorff. Præfat. Concord. * * 3. col. 4. Non est quod putem eos juvare Chaldaicum; dubium enim adhuc est, an iste per suum ברתא factorem velit intellectum, annon potius fructum vel consequens innuat idololatriæ, ob quam dicit Judæos affici in vultibus ipsorum pudore & erubescencia; quem sensum Paraphræos Biblia Polyglotta Anglicana nectunt: quo etiam videtur collimare Raschi scribens: כלומר בושתם זה אל פיהם ישום ומתם פירוש והנם שולחים את הזמורה אל אפם ענין דופי וקלקן *Ac si diceret, turpitude eorum ista ad os ipsorum revertetur. Et Menabem explicat אפם הזמורה את שולחים את הזמורה אל אפם Est res infamie & ignominie.* Equidem hoc ex Buxtorffo discimus, quod ברתא cum locum & partes denotet, quas natura pudoris ergo tectas esse voluit: sed sine connotato, tale quid ברתא significare, ipse non monstrat, nec nisi exempla, suam sententiam firmantia, adducenti fidem habiturum me ultro confiteor, inquit Dilherrus Tom. II. Dissert. Academ. p. 660. Quin posito sed non concessio ברתא pudorem s. crepitarum Chaldaeo denotare, vacillat tñ. hoc pacto ejus autoritas, cum fabulosam crisin judaicam huic loco subternere videatur.

§. XVIII.

De nihilo ergo est omnis illa curiosa disquisitio, ex hoc lubrico fundamento orta: Cui factior sacer fuerit? Quis adeo spurcos & stupidos putaret cætera moratiores eo tempore Judæos, ut Soli vel idolis foetidis suffimentis litaverint. Merito rident hæc gerras viri doctior-

res

res interque eos Oecolampadius ad h. l. scribens: *Antiquitas Hebræa ludere mihi videtur in re seria, nudatis ajunt natibus pepedisse adversus templum & sanctuarium cumque sufficum idolo solis perjucundum esse. Verum illud opinor firmitus quovis pedore gravaculentius esse alienis Diis factum suffimentum.* Cum quo conspirat Gatackerus in Advers. p. 470. inquiens: *Neque enim fidem meretur ullam, quod nonnulli narante Calvino in honorem Solis oppedere soliti. Ni forsan Solem DEum suum in eadem cum illo sententia credebant, fuisse qui (referente Erasmo in convivio fabuloso) eam quâ sedemus corporis humani partem honestissimam honoratissimamque censebat; ratione adjecta, quia pro honoris dignitatisque ratione confessus disponi solet. Quem idcirco obviam factum Antonius quidam non oris affatu sed partis illius, cui honorem ille ampliorem asseruerat, quo honestius exciperet, crepitu clare salutavit. Quanquam in Peoris idoli cultu (quem cum Priapo eundem nostri complures putant) solenne fuisse, coram imagine ipsius ut Gemara Hierosolymitana nates nudare, ut Babylonica crepitu etiam emittere, autor est Vir Clarissimus Constantinus Imperatorius in Middoth c. 3. Sect. 4. Ceterum salutationes istius modi tantum abest ab eo quod DEis suis gratas opinati sint Romani veteres, ut eis casu humano intervenientibus sacra, vitari etiam censuerint. Caro apud Festum Orat. in L. Veterium. Domi cum auspicamur honorem me DEum immortalium velim habuisse, servi ancille si quis eorum sub centone crepuit, quod ego non sensi nullum mihi vitium facit. Faceret ergo si vel sensisset vel fecisset ipse temere. Fundamenta quæ hic struit Ursinus, partim alioctria partim minoris sunt momenti. Neque seridè aut re sufficienter expensa scripsisse videtur in Theol. Symb. n. LVI. Calvinus ait excogitatam à quibusdam interpretibus ineptam fabulam, quod oppederetur in honorem solis, quasi ventris crepitus esset gratum idolo obsequium, in com. ad h. l. sed hujus ineptæ fabule possent aliqua adferri fundamenta. Crepitus ventris non modo Mercurio sacer & bona fortuna nuncius, ut est apud Homerum in Hymno Mercurii. Sed & inter Egyptiorum Numina sicut teste Clemente Romano in Recognitionibus: qui Secupidem non magis quam strepibus per pudenda corporis expressos extremiscebant, ut docet Minutius Felix in Octavio p. 32 & ibid. Elmenhorstius, Rigaltius &c. Notus est ex Aristophane τὸ ἀντασπορῶδὲν πρὸς τὰς θεόνας ritus oppedendi contra tonitrua. Baal Peorem ab apertiendo & distendendo dictum*

dictum ferunt Hebraei, quod cultores in eius venerationem podicem distenderent, & in conspectum ejus cacarent, ut prodidit Fagius in *Paraphr. Chald. Num. XXV. 3.* Denique mysteria nemo ignorat quo obsceniora fuerint eò impurissimo Spiritui, qui sic se coli volebat gratiora fuisse. De quibus Clemens Alexandrinus in *Protrept.* Tantum enim abest, ut ejusmodi ratiunculis ad id credendum se induci patiantur Doctiores, ut potius de ficta tali Iudæorum spurcitie dicat Seldenus de *Diis Syris Syntagm. I. Cap. V. p. 89. Lira lira sunt illud Rabbinica & gerra germanæ.* Vossius quoque *Lib. II. c. VII. p. m. 343. init.* Nimis stulte opinantur de aliis, qui putant hujusmodi se posse persuadere ludibria. Cum quibus faciunt autores plurimi citati à Pfeiffero *Cent. II. Dubiorum Vexat. Loc. LV. p. m. 337.*

§. XIX.

Longius adhuc à janua aberrant, qui Iudæos sibi ipsis aut invicem fœtores adolevisse in diem scribunt. §. 8. Quo enim jure aut qua *ἔργων ἰσχυρίας* lege, talem glossam textui applicant. An proverbialia Germanorum aut Latinorum Hebræis fontibus præscribunt? Monstrent talia dicta in Scripturis obvia, & quod præcise huic loco inferenda sint? Nec melius de textus explicatione merentur, qui locum per Scribas correctum & pro *עבן* olim *עב* lectum fuisse statuunt, quasi DEus obscenâ tali injuriâ seipsum affectum conqueratur. §. 9. Quantum enim correctioni scribarum tribuendum sit vel tyronibus Philologiæ notum est. Dudum eam exploserunt Salom. Glassius *Philol. Sacr. P. I. tr. I. Dilherrus Tom. II. Disp. Academ. Disp. XXII. §. 19. seq.* Calovius in *Bibliis illustratis ad h. l. Gatackerus in Adversariis l. c. Prucknerus in Vindic. ad h. l. Chamier Panstrat. Tom. I. lib. XII. c. 11. §. 3. & 18.* Inprimis vero Daniel Cramerus in *dissert. de דקון ופריים* sub præsidio D. Augusti Varenii habita, quæ reperitur apud *Crenium Fafce II. Exercit. Phil. Hist. p. 156.*

§. XX.

Vano igitur conatu hic sollicite indagant: quid Summum Numen per fœtorem intellexerit. An ventris f. v. crepitum? an Iudæorum modulationes? An eorum munera & sacrificia? Equidem ultimum quod de sacrificiis asseritur quandam probabilitatis speciem in se continet, unde & Dilherrus l. c. inquit: *Si difficultates ex זמורה & correctione Scribarum me non moverent; non displiceret illa vocabuli*

D

זמורה



זמורה ut fetoris acceptione data explicatio: nec tamen abominandam istam & impiam spurcitiam accerferem: verum id DEum velle putarem - - - ut זמורה opponat לריח נוחה odori quietis: qui quam sepius in doctrina de sacrificiis memoratur, & gratuitam remissionem peccatorum ex placata ira notat. Exempla abunde satis suppeditat initium Lib. III. Moysi Leviticus nominatus. Hinc iste mihi sensus nostri commatis & antecedentium videretur adhibendus. An domui Jude parum est hoc, quod perpetrant? iniquitate civitatem implent: & ad hoc etiam me suo impio idolorum cultu irritant. Ecce enim ipsi pro peccatis suis non offerunt sacrificia, quæ sint mihi in odorem quietis ut peccata ipsis remittant: Sed ea impietate augent, dum mihi vides hunc sordidissimum fetorem sua idololatria facere & ad nares meas emittere. Ezech. XX. 8 vocatur sacrificium idolorum כרבו כעס קרבן ira oblatio i. e. irata oblatio. Lutherus Eine feindselige Gabe Germanice sensus esset: Siehe sie machen mir einen Gestand für meine Nasen und keinen süßen Geruch. H. I. Sed quousque ipsa quæ supponitur Scribarum correctio non firmatur certius, qualiscunque etiam ei superstructa interpretatio suis autoribus relinquitur.

§. XXI.

Quin nec singuli ex altera Criticorum caterva rem quod dici solet acu tangunt. Non ferit scopum Andreas Schottus §. 11. citatus. Neque enim ramus pro manu su Scripturis usquam usurpatur. Figurata, Lichtfooti, Calvini, Theodoreti, & Goussetii expositiones nimium coacta sunt, & præter id quod idololatriam crassam hoc in loco reprehensam negligant, & nimis hispida phrasæologias adhibent, veluti mittere palmitem ad iram, pro DEi iram concitare. Mittere ramum, pro cumulare peccata peccatis. Speciatim quæ Goussetius hic in medium adfert, parum ipsum juvant. Verbum enim שלח pro præmittere vel extendere sensu solito hic capere quid prohiberet? Cur הומורה את שלח: non diceretur homo, qui cum manu ramum utique extendere potest. Licet הן & iram connotet, vultum tamen etiam & nares exprimit. Si apodosis הומורה non fingitur neque hic revera datur. Particulam ו non tam conjunctive quam disjunctive per sed etiam explicare h. l. convenit. Metaphora igitur seu allegoria quam ex privato verborum sensu textui infert Goussetius ipsa per se corrui.

§. XXII.

mus, hic Dilherri de eadem iudicium apponimus: *Lavateri explicatio contorta etiam ipso textui contraria, qui non agit de promerito eventus; sed gravissimum innuit Judeorum delictum. Adde nusquam exorqueri posse ודורה talem suppeditare met aphoram, quâ aliquem sibi ipsi malum accessere indigetetur: omnibus enim locis qui ודורה habent nihil damni vel mali sua notione innuit. Consentit Gatackerus in Adverf. loc. cit.*

s. XXIV.

Sola B. Lutheri opinio, ulteriorem sui investigationem promeretur; Versionem namque suam maxime literalem: Und siehe sie haben die Weinreben an die Nasen / hac generali glossa textui apposita ulterius dilucidat scribens: Das ist eine Weise gewesen im Gottes Dienst / wie bey uns das geweihte Salt / Wasser / Würge und dergleichen / dem Abgott zu Ehren. Speciatim si in ritum idololatriæ huius loci inquirimus, amplectimur Docti Bootii sententiam, qui hic quendam ritum ex antiquis Liberi sacris subesse suspicatur. Et sane ut Iudæos, Ægyptiorum in idolomania æmulos, Osiridem s. Liberum Ægyptiū adornatis thyrifis credamus esse veneratos facile induci possumus. Constat enim jam ex v. 14. præcedenti Iudæos idololatrias ritum quendam ex Osiridis h. e. Liberi sacris suscepisse, cum Propheta apud ipsos mulieres super Thammuz stentes conspiceret. Quemadmodum enim Thammuz est idem ipse celebratissimus & πολύθυμος Ethnicorum Deaster Osiris vel Adonis, (de quo Aufonius Epigram. XXX. in Myo-
barbum:

| | |
|---------------------------|-----------------------|
| Ogygiæ Bacchum vocat | Romana Sacra Liberum |
| Oirim Ægyptus putat | Arabica Gens Adoneum |
| Myfi Phanacem nominant | Lucaniacus Pantheum.) |
| Dionyson Indi existimant. | |

ceu nos docet Autor Chronici Alexandrini verbis: *Θαυδὸς ὅπερ ἐμμενεύεται Ἀδωνίς. Thammuz qui dicitur Adonis. Hieronymus item verba Prophete vertens: Et introduxit me per ostium domus Domini, quod respiciebat ad Aquilonem, & ecce mulieres sedentes & plangentes Adonidem, atque postmodum explicans: Quem nos Adonidem interpretari sumus & Hebræus & Syrus sermo ודורה vocat, unde quia juxta gentiliū fabulam in mense Junio Amasius Veneris & Pulcherrimus Juvenis occisus & deinceps revixisse narratur, eundem Junium mensē eodem*

ap

appellabant nomine: & anniversariam ei celebrabant solennitatem, in qua plangitur à mulieribus quasi mortuus, & postea reviviscens canitur & laudatur. Similiter Procopius Gazæus ad Ef. VIII. v. 18., Iunius comm. ad h. l. Ezech. aliique autores gravissimi inprimis verò Gyraldus de Diis Gentium Syntagm. XIII. Seldenus de Diis Syris Syntagm. II. c. XI. Iohannes Schedius de Diis Germanis Syntagm. I. c. IV. p. 73. Vossius de Idololatria Lib. II. c. IV. p. 326. & Braunius Selectorum Sacrorum Lib. IV. c. II. p. 376. Ita planctus ille super Thammuz nil fuit aliud, quam Αδωνιασμός, seu Osiridis ploratus, qui iisdem Solennitatibus, eodem planctu mulierum, eodem menſe fuit peractus, observante Hermanno Witſio Lib. II. Ægyptiacorum c. II. p. 67. & Selde-
nol. c.

§. XXV.

Sed tamen post Osiridis luctum, sequebatur etiam tripudium. Qui enim ante ejus ἀφαισισμόν seu absentiam defleverant, mox de ejusdem εὐρεσει sive reditu tripudiabant. Sic Lucianus de Dea Syria, Tom. II. Operum p. 658. Editionis Amstelodam. 1587. in Octavo. Ἔιδον καὶ ἐν Βυβλίῳ μέγα ἱερόν Αφροδίτης βυβλίνης ἐν τῷ κατὰ ἄργεια εἰς Ἄδωνιν ἐπιτελέεσσι. Ἐθάην καὶ τὰ ἄργεια. λέγουσι γὰρ δὴ ὅτι τὸ ἔργον τὸ εἰς Ἄδωνιν ὑπὸ τῆς σύμφωνον ἐν τῇ χεῖρὶ τῆς Φετέρης γενέσθαι, καὶ μνήμην τῆς πάθεως τύπτονται, τε ἐκάσθ' ἐτεροθνήεσσι, καὶ τὰ ἄργεια ἐπιτελέεσσι καὶ σφίσι μεγάλα πένθει ἀνά τὴν χώραν ἵσταται. Ἐπειὴ δὲ ἀπιτύφονται τε καὶ ἀποκλαύσονται, πρῶτα μὲν καταγίσθαι τῷ Ἄδωνι, ὅπως, εἶναι νεκρῷ μετὰ δὲ τῇ ἐτέρῃ ζῶειν τε μὴ μυθολογῶσιν, καὶ ἐς τὸν ἥερα πέμπθαι καὶ τὰς κεφαλὰς ζυρεῖνται, ὅπως Ἀργύπτοι ἀποθάναντ' ἄπι. Vide & Bibli Templum magnum Veneris Byblia, in quo & ritus Adonis peragunt. Cognovi & ipse ritus illos. Dicunt autem id factum esse, quod Adonis in sua regione apro percussus fuerit, & in rei memoriam verberantur singulis annis, lamentantur & sacra faciunt, magnus ideo luctus per totam Regionem animadvertitur. Finitis tandem verberibus, atq; lacrymis inferias agere incipiunt Adonidi, tanquam mortuo. Sequenti autem die vivere eum dicunt & in aera mittunt, & capita decondunt, ut solet Ægyptii mortuo Apide. Ex aliis hæc ipsa narrat Julius Firmicius Maternus p. 1. libri de errore profanae religionis; qui subjunctus est Minucii Felicis Octavio Lugd. Batav. 1672. 8vo. edito. In adytis inquit, habent Ægyptii idolum Osiridis sepultum: hoc annuis luctibus

plangunt: radunt capita, ut miserandum casum regis sui turpitudine de-
honestati, defleant capitis: tundunt pectus, lacerant lacertos, veterum
vulnerum reserant cicatrices, ut annuis luctibus in animis eorum funeste
ac miserande necis exitium renascatur. Et cum hac certis diebus fece-
rint, tunc fingunt se lacerati corporis reliquiis reperire. Et cum invene-
rint quasi sopitis luctibus gaudent. Eundem ritum postmodum retinue-
runt Græci in suis Adoniis, de quibus Johannes Potterus lib. II. Cap.
XX. Archeologiæ Græcæ Lugd. Batav. 1702. Fol. edit. p. 347. ita scri-
bit: Die subsequenti (nempe postquam Adonim deserverunt) corō ani-
mō lætitiæ se dedebant, in memoriā beneficii, quod Venus à Proserpina
accipit, scilicet ut Adonis in vitam revocaretur, atq; per dimidium unius
cujusq; anni cum ea ageret.

s. XXVI.

Et quidem hæc ipsa εὐρέως ᾧ lætitiæ pluribus & majoribus adhuc
scatuit superstitionibus & abominationibus, quam Ἀδονιασμός præce-
daneus. Ægyptii, quibus redux Adonis primus apparebat, superstiti-
ose fatis eundem repertum Bibliis indicabant. Alexandrini nempe
epistolam junco inclusam postquam rite sacra peregerant mari commit-
tebant quæ Biblum deferrebat inventumque Adonin nuntiabat. Ex-
pectabant hanc mulieres forte electæ, lamentationemque & fœmineos
ululatus ob defunctum Adonin, reperto illo vertebant in lætitiā &
plausum, festumque ad finem, sacrum cum jubilo deducebant. De
hoc iterum Lucianus de Dea Syria, Tom. II. Operum p. 658. Ἔστι δ'
ἔνοιο βυβλίων, οἱ λέγῃσι παρὰ σφίσι θεῶν ἄφθαι τὸν ὄσιριν τὸν Αἰγύπτῳ
ον, καὶ τὰ πένθεα, καὶ τὰ ὄργια ἔν ἐς τὸν Ἄδωνιν ἀλλ' ἐς τὸν ὄσιριν πάντα
περὶ ἠορῆσαι. ἐρέω δὲ, ὅμοθεν καὶ τὰδε πινὰ δοκέουσι. κεφαλὴ ἐκάστον
ἔτεσιν ἔξ Αἰγύπτου εἰς τὸν βύβλον ἀπικνεύεται, πλώσσοι τὸν μεταξὺ
πλόον ἑπτα ἡμερῶν, καὶ μιν οἱ ἀνεμοί, φορέουσι θεῖην ναυτίλην τρεπεταὶ δὲ
ἐδάμα, ἀλλ' ἐς μόνον τὸν βύβλον ἀπικνεύεται, καὶ ἔστι τὸ σύμπαν θῶμα καὶ
τὸτο ἐκάστον ἔτεσιν γίνεταί το καὶ ἐμὲς παρῶντες ἔν βύβλω ἐγένετο, καὶ
τὴν κεφαλὴν ἐθαροσάμην βυβλίην. Sunt n. nonnulli Biblii, qui dicunt
apud se sepulcrum esse Osirin Ægyptium luctusque & sacra hæc non Adoni-
di sed Osiridi cuncta fieri. Caput singulis annis ex Ægypto Biblum defer-
tur, septem diebus, quo spacio à se distant, inde ad banc civitatem navi-
gant; Adferunt autem illud venti divina navigatione. Nusquam alio de-
fertur, sed solum Byblum, quod maximum est miraculum. Hoc quoties
fit

fit anno, ut & me tum presente, Bybli factum est, atque caput ipsum ex papyro formatum ego adspexi. Non sine magna probabilitatis specie de hac Epistola ex Ægypto Biblum missa illud Esaia c. XVIII. 3. *Ve terra umbrosa oris; qua est secundum flumina Aethiopia* מִן מִנִּים נָמָא עַל פִּי חַשְׁלִי מִיַּם צִירִים וּכְסֵלִי mittentes per mare legatos, & instrumentis junceis per superficiem aquarum; ite nuncii leves ad gentem distinctam & depilatam: interpretantur Cyrillus lib. II. Tom. II. in Esaia, Procopius Gazzus ad idem caput Esaia, in primis verò Doctissimus Braunius l. c. p. 382. verba Prophetæ ita circumferens: *Scilicet Legati mittuntur Biblum, per superficiem aquarum, quia junceus sive papyrus fundum petere nequit. Sunt nuncii leves ex junco vel papyro. Ad gentem depilatam; plangentes enim mulieres caput radere cogebantur, quæ autem tonderi non volebant unum diem ad questum corpore faciendum dabant: & quod inde mercedis auferebant, Veneri in sacrificium dabant, ut habet Lucianus de Dea Syria.* Quanquam ab his recedat Witsius in Ægyptiacis Lib. II. Cap. II. p. 68.

§. XXVII.

Hi qui jam repertum Osiridem plaudebant per omnia impudicos, Bacchantium mores imitabantur. Non multis referam quod inter cætera pompæ illius impudicæ fercula viri muliebri vestitu induti gestaverint insolitæ magnitudinis virilia; vel quod olim Isis uxor, sui Osyridis, à Typhone fratre dilacerati membra colligens, virilia mari demersa & deperdita divino cultui exposuerit; vel quod membro genitali Osiridis feminalis aspectus commode exprimeretur, ut voluit Plutarchus lib. de Iside & Osiride, Lucianus l. c. & Ignatius Martyr Epist. ad Philadelph. 8. Schol. Quare etiam Græci postquam sacrorum Bacchicorum ritus & orgiorum solennitates ab Ægyptiis accepere, membrum illud in mysteriis initiationibus & sacrificiis hujus Dei, Phalli nomine honorarunt, ut tradit Diodorus Sic. lib. I. Bibl. Hist. edit. Hanov. 1604. fol. p. 19. Legantur de hoc spurcissimo cultu Eustathius L. T. Iliad. Ptolem. lib. II. Tetrabibl. Xiphilinus in Heliogabalo, ex quibus sua desumpsit Cartarius pe Diis antiquorum, citatus Casatio de profanis & sacris veteribus ritibus, parte II. p. 77. In primis verò confer Schedius l. c. p. 78. qui de phallis hujus Dei reprehensionem Ezech. c. XVI. 26. accipit putatq; phallorum cultum tanquam ab Ægyptiis acceptum hic severe taxari, verbis: *Scortata es cum filiis Ægypti vicinis tuis בָּשָׂר בָּרִרִי magna car-*

ne. Cui adstipulatur Joh. Nicolai de ritu Bachanal. c. XII. ap. Gronovium Vol. VII. Antiq. Græc. col. 299: Apponam saltem Plutarchi locum ex lib. de Iside & Osiride, qui hanc rem sufficienter illustrare potest. *Quæ autem, inquit, palam faciunt sacerdotes dum Apidis cadaver rite advectum sepeliunt nil. distant à Bacchi sacrificio. Quippe & binnuleos pelles circumappendunt. & thyrsos gestant usq; utuntur clamoribus & motibus quibus Bacchico furore correpti dum orgia peragunt.* Ex quibus id h. l. in specie notamus, quod lætitudinis Osiridis cultores thyrsos ferre fuerint soliti.

§. XXVIII.

Scilicet erant thyrsi ut plurimum hastæ aculeatæ hederis vel pampinis obtectæ quas in orgiis gestabant. Scribit Diodorus *Dionysum in exercitu habuisse mulieres thyrso armatas.* Et Macrobius lib. I. Saturn. c. 18. ait: *Liberum Patrem tenere thyrsum, quod est latens telum cujus mucro hedera lambente protegitur.* Hinc ap. Senecam in Hercule furente II. 2. *Tellam vireniæ cuspidem thyrso gereve, & ap. Justinum Marrem ὡς περ αἱ βάκχαι διὰ χημῶν & εἰρηνικῆς τὰς λόγχας ἐν τοῖς θύεσσι περιφέρουσιν, Velut Baccha per speciem habitumq; pacis lances in thyrsis circumferunt.* Quod hasta fuerit hedera obvoluta supra docuit Macrobius, docet etiam Plinius lib. XVI. c. XXIV. *Hedera Liberi Patriæ adorna Thyrsum, unde & Thyrsus dictus Hederaceus.*

Θύεσον τε ὁδὸς εἰς χεῖρα κισσῶν βέλ.

Et thyrsum dans in manus hederaceum. i. e. hedera tectum.

Euripides in Bacchis v. 25. Quin hoc adeo tralatitium & obvium ap. Poetas ut κισσὸν pro thyrso hederâ vestitò epigrammatis Græci autor posuerit in Bacchante, quæ catalyfin faciebat & arma sua dedicabat

- - - παραρρήψασα δὲ κισσὸν

χεῖρα περιφύγξω κισσοδέτω σπατάλη.

Anacreon in Epigrammate cum Θύεσον prius nominasset ἢ τὸν Θύεσον ἔχουσι Ἐλικωνίας, paulò post κισσὸν reddit pro eodem:

- - - Διονύσω δὲ Φέεσσι

Κισσὸν ἢ σαφυλήν.

i. e. thyrsum hedera tectum & ornatum. Virgilius Ecloga V. v. 31.

Et foliis lentas intexere mollibus hastas.

Thyrsos intelligit hedera foliis intextos & indutos, unde & *fuciles thyrsi* in Priapejs qui futilibus hedera foliis intexti erant:

Liber

Libet sutilibus committit praelia thyrsi.

Scilicet futas invicem hederæ foliis thyrsi velabantur, sic *sutiles rosæ* ex quibus *coronæ sutiles* fieri solent. Non tamen sola hederæ, sed etiam pampinis hasta tegebatur. Id discimus ex Lib. VII. Æneidos Virgilii:

*Ast aliæ tremulis ululatibus æthera complent
Pampineasque gerunt incinctæ pellibus hastas.*

Sic & Ovidius l. III. Metamorphos.

*Ipse racemiferis frontem circumdatus uvis
Pampineis agitat velatam frondibus hastam.*

Et in Epist.

*Ut quas pampinea tetigisse Bidorniger hasta
Creditur.*

Idem testatur Silius Punicor. lib. 7. Scilicet & hederæ ut dictum & sæpe pampinis, imo aliquando utrisque hasta hęc modò ornabatur, ut corymbis summa, hederis infima & media scaphi vincirentur. Nonnus lib. IX.

*Αυτὴ δὲ ἔπλεκε θύρσον ὀμόζυγον ὅσωτι κιστῶ
ἀκροτάτω δὲ σίδερον ἔπεσθηκωσε κορύμβω.*

§. XXIX.

Differebant ab his thyrsi qui aequè frondibus tecti pro mucrone summitatem pineæ nucis instar cum fasciola nodo stricta & utrinque dependente habebant. Ea figura thyrsos plerumque exhibent antiquæ Scripturæ. Plinius Lib. XXIV. c. 19. Herbam quandam vocat impiam *thyrsi modo vestitam & capitatam*. Dicit thyrsifum *capitatum & vestitum*. Vestitum hederæ vel pampinis, Capitatum, quod in summitate ferat nucem pineam, quam thyrsifum impositam auctores asserunt, Epigramma quo dedicantur instrumenta Bacchanalium:

Καὶ θύρσος χλοερὸν κωνόφορος κάμικα.

Duplicis igitur generis fuere proprie sic dicti thyrsi, quibusdam *λόγχη* ferrum hastæ, mucro vel spiculum aderat fronde tectum ne appareret, hi *λογχῶται θύρσοι* vel *θύρσοι λόγχοι* dicebantur. Quidam vero pini pomum in extremitate ferebant & *κωνόφοροι* dicebantur.

E

§. XXX.

Observandum tamen & hoc, quod aliquando simplex etiam baculus hedera circumdatus pro thyrso fuerit. Talis pingitur in Achate illo nobilissimo qui Bacchi orgia sculpta exhibet, & quem Scaliger & Casaubonus explicarunt. Baccha mulier ibi conspicitur pro thyrso baculum tenens hederæ fronde redimitum, neque tamen capitulum habet *κωνοειδές* nec mucronem. vid. Casauboni Lib. I. c. II. de Satyr. Græc. Poesi & Roman. Satyr. ap. Crenium Musei philologici p. 71. Imo interdum thyrsus pro *βάπτει* seu Virga, simili instrumento Bacchico positus reperitur. Est proprie *βάπτει* baculus vel virga ex ferula frutice, qua Magistri manus discipulorum verberant, unde *ferula magistralis* dictæ. Nempe quia ferula levis & fungosus frutex est ac sine pernicie ictum infert, idcirco est delectus castigandis pueris, qui inde *manum ferula subducere* dicuntur Satyrico. Eadem de causa ferulam Baccho attributam scribit Diodorus Sic: lib. I. Biblioth. Hist. p. 215. *Cum vinum, ait, initio reperiunt nondum aqua dilueretur merace potioni usus erat. In sodalitiis ergo festisq; conviviis saepe accidit, ut à nimia meri ingurgitatione homines furore perciti ligneis (quos tunc gestabant) baculis se mutuo verberarent. Ideo cum alii sauciarentur alii lethaliter isti occumberent. Dionysus his casibus offensus quidem vini potionem ob eximiam hujus suavitatem non omnino interdixit, sed pro ligneis sciphonibus ferularum usum introduxit.* Capitur tamen etiam *βάπτει* pro qualibet virga feriendo apta qua notatione & *θύρσο* dicitur. Nam & *θύρσο* interdum simplex baculus fuit. *βακχεῖον κισσῶνον* vocat Euripides & *κισσῶνον κλάδον* baculum hedera redimitum. Hesychius *θύρσο*, *βακχεῖον*, *βακχεῖον*, *βακχεῖον*, *κισσῶνον*. Svidas p. 420. *θύρσο*, *βακχεῖον*, *βακχεῖον* ἢ *λαμπάς*, ἢ *εὐλαῖον* eis τιμὴν τῆς Διονύσου ἐν ἐπιγυάμιατι. Thyrsus Bacchica virga vel lampas, quam in Dyonisi honorem gestabant. In Epigramm. 46. lib. 6. Imo Josephus nudos ramos in festo scenopægorum gestari solitos à Judæis, quos Rabbini *נרשן* vocant, nomine thyrsi insignivit. lib. XIII. c. 21. Vide pluribus Gronovii Thesaurum Antiquitatum Græcarum Vol. VII. col. 192. D. 238. A. Vol. X. col. 671. A. Grævii Thesaur. Antiqu. Romanar. Tom. XII. p. 971. Hoffmannum in Lexico Universali sub voce Thyrsus, & cui plurima hæc de thyrso debemus, Doctissimum Salmasium in

Exer-

33

Exercitationibus de homonymis Hyles. Iatricæ C. III. p. 3. seq. quæ annexæ sunt ejusdem Exercit. Plinianis in Caji Iulii Solini Polyhyft. Traject. ad Rhen. 1689. in fol. edit.

§. XXXI.

Ejusmodi ergo sive haftas sive baculos furentes Osiridis cultores manibus ferebant, non tamen sine lymphatica & vesana gesticatione. Satis id indicat Plutarchus dum l. c. hos orgiatarum mores motibus Bacchicis assimilat. In Bacchanalibus vero quos motus fecerint thyrsiferi exactè quidem determinare vix licet, eos tamen inconditos & inhonestos fuisse certo certius est. Etenim thyrsos non solum extendebant & iis quasi sese oblectabant ceu illud Juvenalis Sat. VI. lib. II. *Personam thyrsi sumque tenent* Scholiastæ explicant: Sed etiam discurrebant per amentia speciem, ut nec vultus nec gestus compositus maneret. Hoc est *thiasos inducere Baccho*, uti loquitur Virgil. Buccol. 5. Nam thiasos exponunt Servius in notis p. 23. Taubmannus comment. ibid. p. 52. *quod sine chorus orgia celebrantium cum vociferatione & saltu, Dea choros.* Hinc thyrsus gerere idem quod insanire Juvenali Satyra VII. Lib. III. Et Euripides in Phœnissa v. 798.

Neque cum thyrsifero cervinis pellibus indutus tripudias.

Tacitus quoque Bacchantium mores exprimens, ait: *fœmina pellibus accinctæ assultabant ut sacrificantes vel insanientes Bacchæ, ipsa crine fluxo thyrsus quatens juxtaque Silius hedera vinctus gerere cothurnos jacere caput strepente circumproci choro.* Lib. XI. Annal. c. XXXI. n. 5. Adeoque tales thyrsiferi saltare & gesticulari consueverant hinc quater, agitare, rotare thyrsus apud Poetas passim. Hoc etiam modo Ægyptii gaudia Osiridis Plutarcho iudice celebrarunt.

§. XXXII.

Univerfus vero ille Orgiorum cultus in solis potissimum honorem fuit institutus. Hoc enim clarum est antiquis Thamutz, Adonidem, Osiridem *Φωσμάς* solem denotasse Osirin sane Veteres Titana, Phœbum h. e. Solem interpretari solent, Stautius primo Thebaidos

- - - seu roseum Titana vocari
Gentis Achamenia ritu, seu præstat Osirin
Frugiferum.

Ubi sic Lutatius Placidus: *Secundum Aegyptios, qui Osirin Solem interpretantur: per quem proventum frugibus existimant posse contingere.*

Hic iam firmantur ex Diodoro Siculo, qui lib. I. p. 10. ait: *Ceterum verustissimos in Aegypto mortales mundum supra se contemplatos & non sine stupore demiratos universi naturam, duos Deos esse existimasse aeternos & primos Solem & Lunam quorum istum Osirin hanc Isis appellarunt.*

Muris vero eadem comprobatum ivit Gerh. Joh. Vossius lib. II. Idololat. c. X. p. 355. seq. Equidem Adonim nonnulli frumentum satum physice notare volunt, quod sex menses sub terra degit, sex menses vero in Veneris seu Aeris conspectu apricatur. Sed melius Adonis de sole ipso exponitur. Hic enim dum sex signa australia pererrat brevioresque facit dies, noctes longiores, à Venere (ut fingunt Poetae) i. e. nostrò caelò quasi abest, & apud inferos moratur, cum vero sex signa Borealia pervagatur, in Veneris amplexus ruit, omnisque laetitia restituitur. Orpheus in hymnis:

*Ὅς ποτὲ μετὰ νύκτας ὑπὸ τῶν τετραγών ἢ ἐροέντα,
Ἡδὲ πάλιν πρὸς ὄλυμπον ἄγεις δέμας ὠριόκαρπον.
Qui nunc nigrum inhabitas Tartarum,*

Et rursum in Caelum refers corpus frugiferum.

Hinc est quod veteres Adonim ab Apro interemptum dixerint. Sol enim aequatorem versus Austrum transgressus toto hiberno tempore obiit, & quasi mortuus est ingressusque in signum Capricorni quasi in Aprum irruit, ab eoque percutitur decerpiturque, quod enim, notante doctissimo Gerharo, Vossio, Graecis καπρός (unde Capricornus) Latinis est Aper. Est sane hyems gelu & frigore quasi instar Apri hirsuta, & inimica frugum adeoque instar apri omnia vastat.

s. XXXIII.

Itaque festum Osiridis mense Thamuz i. e. Junio circa solstitium videlicet aëstivum quo sol boreales partes relinquendo ad australes comeat instituentes, nil aliud cogitarunt quam solis accessum & recessum quem ut amissum nunc lugebant, ita reatum latis excipiebant auspiciis. Vide hanc in rem Macrobius Lib. I. Sat. c. 21. nec non de Sole sub Osiridis vel Adonidis nomine culto, Seldenus de Diis

Syris


Syris Syntagm. II. c. II. p. 262. Stanleji Historiam Philos. Orientalis. Lib. I. Sect. II. c. 35. Schedium de Diis Germanis Syntagm. I. c. 14. p. 76. Witsium in Ægyptiacis Lib. II. c. II. p. 68. Braunium in Select. Sacris lib. IV. c. II. §. 25. p. 380. Ursinum exerc. de Trismegisto Sect. IV. & Vol. 2. Analect. lib. II. c. 23. Henricum Lubbertum de Solis cultu Cap. III. §. 4. c. VIII. §. 3. & plures alios.

§. XXXIV.

Hæc si paulo accuratius pensitentur, claram nostræ sententiæ lucem conciliare possunt. Scilicet evictum jam ex v. 14. ludæos Adonidem seu Osiridem dessevisse, maximè ergo verisimile est eisdem quoque hujus *εὐγεσσω* lætabundos celebrasse, cum hæc sacra sese mutuo respexerint. Quod vero DEUS utramque simul superstitionem hoc loco perstrinxerit ex collatione textus cum *εὐ. εσ. ☉* ceremoniis ostendi potest. Initio paulo ante diximus *εὐ. εσ. ☉* latitiam plures pulkulasse abominabiles superstitiones quam præcedentem Osiris *ἀφαισμοὺν* seu planctum. Et ita etiam idololatria Judæorum v. 16. à DEO indicatur. Ostenso quippe planctu super Thamuz inquit Propheta DEUS v. 15. *Ahuc converte te, & videbis abominationes majores.* Deinde universam Osiridis venerationem, cultum solis exhibuisse pariter jam notum est. Neque enim aliud alterno fletu & tripudio voluerunt Orgiastæ, quam Solis discesum tristem, accessum verò mortalibus gratum & acceptum esse. Hinc plorabant ejus absentiam, & contrareditum superstitionis venerabantur. Id convenit Idololatriæ Judaicæ, speciatim illis viginti quinque viris, qui dorsis versus templum, faciebus versus Ortum directis solem adorabant, nempe hi cultum eum persolvebant palam, quem Ægyptii tectè sub Osiridis simulacro Soli tribuebant. Tandem & thyrsos percepimus circumferri solitos: quid impedit quo minus de his vocem *זמורה* explicemus. Hanc proprie palmitem seu vitis frondem denotare fati diximus. Palmites verò thyrsis quondam fuisse circumligatos, ecquis iret inficias? Equidem si Diodoro credimus, major hederæ quam pampinorum in adornandis thyrsis usus fuit, quod Ethnici in eligendis herbis sacris perpetui vigoris rationem habuerint, quo hederæ

hedera vitem superat, lege. Lib. I. p. 15; Interim cum & hedera & vitis æque ob inventionem Osiridi sacra fuerit, prout idem Dioscorus autor est, palmites quoque thyrsos sæpius ornaverint, imò in Syria ob hederæ defectum totum & universale baculorum Bacchorum indumentum confecerint, vide Theophrastum lib. IV. *hist. plant. c. 4* tutò nostrum זררר de thyrsis pampinis obvolutis, aut quod magis placet, de firmioribus vitis flagellis explicare possumus. Profectò hanc interpretationem phrasim אלה אדם non respuit. Constat enim ex supra dictis, quod thyrsos orgiasticæ non solum extendunt, sed lascivo etiam motu agitant. Sive ergò verbum שלח de nuda extensione rami ante faciem factà, sive de gesticulosa ceremoniâ quâ palmites sive thyrsos ad nares extendebant, exponamus, utroque modo fati apte rem referimus. Verbum חוש de extensione manus sumi, quâ mediante & thyrsus attollitur, patet ex Gen. III. 22. & II. Sam. XV. 5. &c. Sic & vox נח non tantum nares & iram, sed frequenter etiam vultum sive faciem denotat, vide Concordantias Buxtorffii. Tandem quod particula ה non tantum pro *ad*, sed etiam pro *ante* usurpetur per loca Ios. X. 18. I. Reg. VIII. 42. &c. recte probat Noldius in Concordantiis. Optime ergo hæc expositio cum σὺνὰ φέρεα textus, cum sensu verborum literali cum ipsa denique antiquitate convenit, unde & Gatackerus in Advers. p. 474. Boottii verba referens addit: *Et vero ista mihi cum simplicissima cum & verissima, videtur interpretatio: cui insuper explicande cum clarissima sit nec verbulo adjecto opus fuerit*; & Dillherrus pluribus, licet aliis hanc sententiam rationibus comprobat. Quibus & nos hæc vice ad stipulari non veremur, non quidem quod existimemus, eorum assertum infallibilibus & immotis inniti rationibus, sed quod hic ubi conjecturæ locus est, nulla probabilior sese hæctenus nobis obtulerit opinio. Iudicium, tum de hæc sententiâ tum etiam de præsentis nostro labore Benevolo Lectori relinquimus, rogamus tamen velit illud in meliorem partem ferre, atque exactiora qualiscunque nostræ industriæ specimina olim à nobis expectare.

SOLI DEO GLORIA.



99 A 6943

ULB Halle 3
002 821 931





Handwritten mark

Detrov

Vb 17 *Hi 97*







F. N. 7.
DISSERTATIO PHILOLOGICA,
Ad verba
Ezechiels VIII, 17.

והנם שולחים את הזמורה אל אפ
Et ecce, extendunt palmitem ante
faciem suam.

Quam
ADJUVANTE DIVINI NUMINIS GRATIA
IN ACADEMIA PATRIA
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE ac DOMINO,
DOMINO FRIDERICO
WILHELMO,
REGNI PRUSSIAE ET ELECTORATUS BRAN-
DENBURGICI HEREDE, &c. &c. &c.

PRÆSIDE
VIRO AMPLISSIMO, EXCELLENTISSIMO ac DOCTISSIMO
DNO. M. LAURENTIO
WEGERO,
Lingvæ Ebrææ cœterarumque Orientalium Prof. Publ.
Ordinariô celeberrimô,
Dominô Patronô ac Præceptore maxime venerandô
Publicæ disquisitioni subjicit
CHRISTIANUS GABRIEL Fischer!

Regiom. Pruss.
IN AUDITORIO MAXIMO
Anno M DCC X. d. 3. Julii.

REGIOMONTI Typis REUSNERIANIS.